# HENRICI NEPOMVCENI CRANTZ

PHILOSOPH. ET MED. DOCT.
CAESAREAE SCIENTIARVM ACADEMIAE
MEMBRI

# COMMENTARIVS
DE
# RVPTO
# IN PARTVS DOLORIBVS
## A FOETV VTERO.








*LIPSIAE,*
IMPENSIS IOHANNIS PAVLI KRAVSII,
BIBLIOPOLAE VIENNENSIS.
MDCCLVI.

ILLVSTRISSIMO
AC CELEBERRIMO

VIRO

# GERARDO

L. B.

VAN SWIETEN

AVGVSTISS. IMPERATORIS
ET IMPERATRICIS
CONSILIARIO
ARCHIATRORVM COMITI
PVBLICAE IMPERIALIS BIBLIOTHECAE
PRAEFECTO
INCLYTAE VIENNENSIS FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDI PERPETVO
ACADEMIARVM, REG. SCIENT. ET CHIRVRG.
PARIS. NATVR. CVRIOSOR. INSTITVTI BONONIENS.
ET LITERAR. INCOGNITOR. MEMBRO

PRAECEPTORI, PRAESIDI,
MAECENATI

PVBLICAS AGERE GRATIAS VOLVIT

HENR. IOANN. NEPOM. CRANTZ.

# ILLVSTRISSIME
### ATQVE
# CELEBERRIME VIR




*iraberis abs dubio,* TE *inſcio,* NOMEN TVVM *huic Commentario inſcribi. At ego niſi ſic publicum grati animi documentum* TIBI *ponam alias nunquam poſſum; equidem, etſi hoc* TIBI *innatum eſt, humilitate propemodum nimia voluptate maxima omnes beneficiis demereri, vt an benigne feceris an receperis dubium relinquas, in iis, quibus me* TIBI *deuinxiſti officiis, id ſemper effeciſti, vt mutus non eloquens,* TVO *fauore perculſus magis quam audax, Gratiarum Actionem coram* TE *recte exordiri nunquam*

quam

*quam potuerim, et forte hodie ex longinquo loquens agro digne finire adhuc non possim.*

*Itaque patere* ILLVSTRISSIME VIR, *qui nisi per furtum* TIBI *gratias agi non finis, vt publicas* TIBI *hodie pro omnibus agam referamque. Singula enim, quae in me contulisti beneficia, etsi maxima, quia priuata, recensere iniuria* TVARVM *virtutum fuerit; sed ea hic tantum modeste et carptim dicam, quae toti vrbi, toti Regioni, vastissimo Imperio praeclare fecisti.*

*Summa cum voluptate recordamur omnes*, AVGVSTISSIMAM DIVI CAROLI VI REGINAM FILIAM, IMPERATRICEM NOSTRAM, *dum pacato, crudeli bello, orbe scientiarum sedes vbique Suis Imperiis restituere statuisset*, TIBI

VNI

VNI *immenso labore, Regiis sumtibus, e patrio, euocato, solo, harum rerum summam consilio plane diuino decreuisse; recordamur incipientem* TE, *ne minimis rebus posuisse rudimentum, sed ita statim Regia dignitate et Maiestate, facem intulisse, vt an artes scientias in Cathedras reuocaris, an in his sedentibus et mutis animam tantum addideris, hodie, quia et id posteritatem ignorare voluisti, discernere non possimus; quodsi etiam ad intellectum celeritatem beneficii flectimus et in primum, quod oculis animo hausimus, magis inclinemus, in vnum tamen omnes assentimur, felicius longe euenisse ita destructas et dispersas fuisse, vt eleganti et firma hac creatione prodirent, quam nunquam eadem fuisse suscitatas et semper floruisse.*

*Hoc Viennae primum, Pragae dein etiam factum. Sed maximum* ILLV-

STRIS-

STRISSIME VAN SWIETEN *et* TVVM *illud est, quod a primis statim initiis in aegrorum solatium singulis diebus horam consecraueris, quod non rogatus, non iussus, Cathedram* IPSE *conscenderis, artem miseris mortalibus salutarem per octo annos indefesso animo professus fueris, vt immensa Imperiorum spatia* TVIS *discipulis quondam impleres, vt imples; neque id vereri* TV *potes, quod* AVGVSTISSIMIS IMPERATORIBVS *ne vnum quidem* TVO *afflatu ita fictum, qualem esse voluisses, vt foret vera* TVI *effigies, exhibere possis, vtique nouerant* AVGVSTISSIMI PRINCIPES TE *talem qualem es natum esse, quod ante* TVAM *aetatem vni* HIPPOCRATI *et* BOERHAAVIO *contigerat, nouerant inde* TIBI *facile fuisse priorem aequare, posteriorem vincere, quod nobis impossibile.*

*Quan-*

*Quantas denique non debet* TIBI *gratias optimus quisque, quod, publicos pro suprema artis salutaris laurea, minuendo sumtus, non tam auro, quam labori honorem haberi volueris. Quid dicam de illa infatigabili poene Collegiorum, sessionum, examinum Cura? quid de Praesidis Perpetui in Facultate munere, quod iniuisti, non vt ornamentum caperes, licet pro* TE *primo creatum fuerit, sed vt honorem dignitati, dignitatem membris dares et horum gloriam et felicitatem magis augeres.*

*Vltimo demum,* TVA CVRA, *liberalitate* AVGVSTISSIMAE *maiora dantis, quam saepe a Superis petuntur,. ex fundamentis erutam Arcem, scientiarum et artium Nomine inscriptam stare, ibi iam* Collegium Medicum TVIS *praeparatis,* MAGNI RVYSCHII *Thesauris, quae omnia*

*huic*

*huic dono dedisti, Diues superbire, maximas* TIBI *grates debet Ciuitas, Imperium,* IMMORTALES *vero debemus omnes et ex corde agimus, quod per decem iam annos et* AVGVSTISSIMORVM PARENTVM *et* AVGVSTISSIMAE SOBOLIS *valetudinem adeo sollicite curaueris. Cures imposterum in seros annos, et* IMPERATOREM *et* IMPERATRICEM INVICTISSIMOS *et* AVGVSTISSIMAM STIRPEM INCOLVMEM DEVS T.O.M. *seruet, optamus.*



COM-



# COMMENTARIVS
## DE
# RVPTO IN PARTVS DOLORIBVS
## A FOETV VTERO.

§. I.

Vterum in partus doloribus rumpi rarum non eſt; at rupto vtero matrem emergere, et arte ſeruari ſuperſtitem, rariſſimum. Sed eſtne in vteri ruptura ineluctabilis et abſoluta lethalitas? an percuſſi et rupti vteri, quam cultro diſſecti vulnus periculoſius? qua demum de cauſa adeo miſera illis mors?

§. II.

Vulnera vteri per ſe adeo lethalia non eſſe, felici omine in viuentibus toties inſtituta ſectio Caeſarea (*a*), totius vel maximae partis vteri exſtirpatio,



(*a*) Id euidenter euicere ROVSSETVS, RVLEAV, integris libris de partu Caeſareo. BAVHINVS, MIZALDVS, CORDATVS, SCHENCKIVS, infinitis obſeruationibus. Hos hodie ſequuntur Chirurgi principes omnes,

patio (*b*), huius visceris auulsio (*c*), dilaceratio (*d*), suppu-

omnes, posteaquam exsectionem vindicasset in Germania Celeb. HEISTERUS, in praeclaro illo opere Chirurgico, quod omnis Chirurgia miratur, et post illum D. SIMON dans les *Memoires de l'Academie de Chirurgie*, Tom. I. et II.

(*b*) Vterorum, sectione, vstione, ligatura, sine vitae detrimento exstirpatorum, memorabilia exempla recensent ROVSSETVS *Traité de l'Enfantement Césarien*, Paris 1581; PAVLVS lib. 3. cap. 72. *Nicol.* FLORENTINVS in 9 RHASIS. PARAEVS *lib. de hominis Generatione* cap. 41. LANGIVS Tom. 2. epist. 39. BERENGARIVS; MERCVRIALIS; DVRETVS in HOLLERIVM; et plurimi alii apud SCHENCKIVM et BONETVM. Rara itidem est, si vera FERNELII obseruatio, qua asserit se vidisse parturientem, cui per genitalia decidens cum foetu incluso vterus, sine vitae detrimento exsectus. Licet vero inter haec exempla ad obseruationes et rationem ponderata, multa sint, quae potius polyporum quam vterorum exstirpationes cum fundamento habeam, vt id facile demonstrare possem: sic alia sunt, quae omne dubium diluunt; addam quod in *Actis Natur. Curios.* Vol. I. obs. LXXX. pag. 152. Celeb. ZVINGERVS vteri prolapsi syderatam massam, tres cum dimidia libras ponderantem cum decidisset, ligatura exstirpari curauit. Omnium vero euidentissimum testimonium est *Raymundi* VIEVSSENS, *Traité nouveau des liqueurs du corps humain*, *Tom. 2. pag. 379*, vbi in Nosocomio Montis pessulano *Ioannae* BERGOGNEVSE a Chirurgo DVMAS, praesente D. GERMAIN Chirurgo, VIEVSSENS, BARBEYRAC et aliis medicis, ex genitalibus propendens amputatus vterus fuit, et lustratum post decem, quos illa adhuc vixit annos, cadauer ab iisdem, vterum tum reuera amputatum fuisse edocuit. Similis casus est PARAEI, *de hominis generatione* lib. XLV.

(c) Sic et in procidentia auulsum fuisse a Chirurgo vterum, *obseruat. lib. 3.* pag. mihi 747, testatur *Felix* PLATERVS.

(d) In naturali partu ex dolorum vehementia, vt et capitis mole, vteri orificium saepius dilacerari salua puerpera obseruatum; sed et impune vteri orificium dilacerasse obstetrices multis obseruatoribus notum. Sic Clariss. LEVRETVS et ego anno 1752 Parisiis, obstetricem dedita opera, digito

gito

ſuppuratio (*e*), gangraena (*f*); imo ipſa huius organi ruptura (*g*) cum matris vita perſtans, luce meridiana clarius probant.

## §. III.

Quod etſi minime ſpernendum ſiniſtri, operationis Caeſareae, euentus, obſeruationum nume-

 rum,

gito os et collum vteri, partus promouendi cauſa, dilaceraſſe nouimus, et alteram, dum languidius parientis os ſacrum, arreptis poſtrorſum humeris, calce pulſaſſet, non ſolum os vteri duobus locis diſrupiſſe, ſed et abdominis viſcera in Herniam, ſine morte nitentis, depuliſſe vidimus.

(*e*) Vterorum ſuppuratione foedatorum ſaluis mulieribus plurima exſtant teſtimonia. Similia habent ALBVCASIS *lib.* 2. BENEDICTVS *de difficili partu lib.* 25. *cap.* 33. peculiari opuſculo CORNAX. Imp. Med. ROVSSETVS *de partu Caeſareo.* RIVALLIER in *diario Med. menſis April.* 1683. item BLONDIN. Reginae Chirurg. *in nouis inventis anno 1 menſ. Martii* 1679. Atque in his aliisue omnibus obſeruationibus etſi iure dubitari poſſit, vterum reuera fuiſſe ſuppuratum; quum a foetu in tuba, ouario, ventre, concepto, aucto, dein mortuo, aeque ad vmbilicum, ilia, hypochondria, inguina, aluum, oriri abſceſſus potuerit, nec ſemper neceſſe fuerit vterum prius ſuppurari, vt ad haec loca foetus exire poſſit; ita ſequentia rem certo certius confirmant et expoſitione ſimplici vterum ſuppuratum denunciant; qualia teſtimonia ſunt *Marcelli* DONATI, *hiſt. mirab. lib.* 4. *cap.* 22. *Felicis* PLATERI *obſ. lib.* 1. *pag.* 215. *in Sartoris vxore.* Obſervatio in *Hiſt. Acad. Reg. Scient.* anno 1709, pag. 23. obſeruatio D. HOVIN. vteri poſt partum manu dilacerati et ſuppurantis LEVRETO miſſa.

(*f*) In obſeruatione IV *Henr. à* MOINICHEN, dicit *quibuſdam per gangraenam computruit matrix nihilominus ſuperſtitibus vt confirmant,* GATINAR, ROVSSETVS, SEVER, PERREVS, CARPVS, M. *de* GRADI, SCHENCKIVS: *ideo vterus ad vitam non eſt neceſſarius, quemadmodum mecum tradunt* WELSCHIVS, BARTHOLINVS, RIVERIVS, *et alii.*

(*g*) Vt id euidenter patet ex obſeruationibus vtero perruptarum, quae in hac calamitate adhuc ſatis diu vixerunt, quod dein clarius exponam.

rum, in artis monumentis, exſtare non negem (*h*), et ipſa vteri vulnera percuſſione, et diuulſione (*i*) quam ſectione facta periculoſiora adhuc habeam, imo vteri rupturam veram vteri apoplexiam (*k*) iudicem, ne inde quidem vulnera vteri abſolute lethalia eſſe et vteri rupturam immedicabilem, quin contra vt ante pluribus obſeruationibus euictum hac culpa abſolui, et tantum ex defectu auxilii deſperata euaſiſſe, prudentis animi ſenſu, inferri poſſe reor.

§. IV.

Neque id tamen ex ſimplici ratione ſtatuo, inter tot enim de rupto vtero obſeruationes et crudeles in partu caſus, ne vnus quidem eſt, cui in tempore ex arte remedio ſubuentum, quodſi verum

(*h*) In operatione Caeſarea infinitas numero mulieres periiſſe negari non poteſt, ſed in his operantis ignorantiam, ruſticitatem, audaciam, praeterviſum operationis momentum et alia ad exſectionem neceſſaria neglecta iure inculpat in *Act. Chirurg.* D. SIMON.

(*i*) Idque ex multis rationibus, *1.* quod in vteri percuſſione, diuulſione, cauſae impetus, violentia, in ſectione vero moderatio intelligatur, *2.* quod percuſſio, diuulſio, ſolutionem continui efficiens, ſine contuſione, inaequali fibrarum dilaceratione eſſe nequeat, ſectio contra. *3.* quod vtriuſque diſpar euentus, illius periculoſior, difficilior, crudelior, huius longe tutior. Inde tamen concludi non poteſt, percuſſionem vteri eſſe abſolute lethalem. vide Not. (g) §i praeced.

(*k*) Apoplectico hic aliquid reperiri ſimillimum morbo patet conſideranti, mulierem ad vterum percuſſam victimae adinſtar concidere et corruere attonitam, viribus, voce priuari et iacere immotam, vnde haec vera apoplexia vteri eſt, ſed vti non omnis apoplexia capitis deſperata, ita nec vteri abſolute lethalis, et quae in illa capitis rupturam vaſorum efficiens cauſa, vti in illa vteri, indubitatae mortis diſcrimen intuliſſet, in hac vteri, ineuitabile periculum non ponit, quia viſceris ignobilitas hoc plurimum diluit.

verum vti veriſſimum, quomodo vis periculum in mortem non flectere? vtique vulnera medicatu facilia, et quae nemo mortalium mortifera habuit, ex defectu auxilii, deſperata conſpeximus; vnde merito concludo vulnerum lethalitatem, non ſolum partis laeſae, quoad vitam excellentiam, ſed et artis aut impotentiam, impoſſibilitatem, defectum, aut praepoſteram aut penitus neglectam applicationem inuoluere.

§. V.

Atque ſane ea eſt noſtra in crudeli hoc caſu infelicitas, quod non ſolum ars eis, quae tamen hanc exercent, deſit, ſed et ipſae ſibi, et vel ad extrema aduocatus obſtetricans, ex illis ne hilum quidem expiſcari, vel ad tepidum iam cadauer, ſectione facta, nihil niſi vterum ruptum videre poſſit; quod et ipſimet obſtetricantes, quibus horrendas has mortes frequentius videre datum eſt (*l*), nec cauſas, nec ſigna, nec phaenomena, adeo terribilis mali nobis ex amuſſim tranſmiſerint; vnde recta artis, ignoti et per ſuas cauſas et per ſua ſigna caſus, curatio, impoſſibilis hucuſque eſſe debuit, et ni verae cauſae et certa mali ſigna obſeruata fuerint, in omne aeuum erit.



(*l*) Sic in *Hiſt. Acad. Reg. Scient.* anni 1724, *in obſ. anat. No. IV* certiores nos facit *Academia* vterum ſaepe in partu rumpi; GREGOIRE Chirurgum obſtetricium 30 annorum ſpatio 16 tales caſus vidiſſe. Sed quantum eſt in hac re inane vtique iam plures ante illam id ſcriptis ſignarunt, nec tamen inde aut praeuidere ſtragem aut factam cognoſcere didicimus; potuiſſet tamen magnum rebus his lumen adferre GREGORIVS, ſed id ab *Academia* iactari, non perquiri ſufficiebat.

§. VI.

Scio equidem iam a multis medicinam, excisionem nempe, propofitam (*m*). At quae ignoti morbi medela effe poteft (*n*)? et quis dedita opera, leuem ob fufpicionem, femianimem euifcerabit extifpex? vt inter inteftina fufum, quem nullo ibi figno ante adeffe certo cognouit, infantem eximat. Quis fe famamque fuam, vt hodie flagitant, euentus obfides fore pollicebitur? Quodfi etiam aliquis, cuius rei nullum hucufque exemplum eft, fupra temeritatem audax promitteret, quis confanguineorum adhuc permittet? Si enim in cafibus inftituendae exfectionis non dubiis, vbi fcientia facti certitudinem, Religio iuuandi defiderium, fpes fucceffus gloriae ftimulum adhuc dant, et cuncta fimul perfuafionis facultatem difficulter in noftras partes miferae confanguineos duci-

(*m*) Inter alios de operat. Caefar. in *Mem. de l'Acad.* de Chirurg. Tom. 2. cafu 3. tractans D. SIMON his verbis: *Il n'eſt pas douteux, qu'on ne doive faire l'operation Céſarienne; lorsque l'enfant a paſſé dans le ventre par la crevaſſe de la matrice. Il y a même peu de cas, ou l'indication de la practiquer ſoit auſſi preſſante; car l'enfant ne peut ſurvivre long tems à cet accident; la mere eſt pareillement, en danger de perdre la vie par l'hemoragie conſiderable qui ſe fait ordinairement dans la cavité du bas ventre.*

(*n*) Idem praeuiderat iam ipfe SIMON, dum pag. 325 ita habet: *La difficulté dans le cas dont il eſt queſtion ſera de reconnoitre bien poſitivement que l'enfant eſt paſſé dans le ventre de la Mere.* Hanc vero difficultatem ex fignis, quae adeffe poffunt, dilui credit, dum dicit: SAVIARD *rapporte ſur ce ſujet une obſervation qui fait voir que ſes ſignes peuvent ſe preſenter d'une maniere non equivocque.* Sed creditne bonus SIMON omnem vteri rupti cafum effe cafum SAVIARDI, in quo prolapfus foras funis in abdomen non in vterum ducit?

ducimus, quid in re incerta ſumma periculi, anxius, dubius efficiet?

§. VII.

Nolim tamen quis iam credat a me exciſionem proſcribi, quam ſecundum circumſtantiarum rationem vel maxime neceſſariam, ipſe dein ſtatuam, ſed tantum in ignoti mali auxilium animadvertere. Quanto ſatius feciſſent Muſeorum illa oracula, ſi nos ante in cognitionem quam curationem duxiſſent. Forte iam apoplexiae vterinae acceſſum in prima ſua calamitate cognouiſſent plurimi. Forte iam praeſenti auxilio ſubueniſſent, et ea dudum linea arti adiecta foret, quae adhuc adiicienda manet, quam vt recte aſſequar primo de cauſis dicam.

§. VIII.

Quae rupturam vteri efficiunt cauſae, indagatu difficillimae, rationi quidem offeruntur plurimae, ſed quis ſcit an verae et ſemper certo obſeruatae? Tardior Magiſtrorum artis ad caſus admiſſio, indolens obſeruatio, et negligens horum communicatio, tenebras hic offundit maximas; non ſunt tamen illae fingendae, ſed vere obſervatae edocendae, de illis quibus mater occaſionem praebet, incipiam.

Arctum nimis et naturae viribus vix ſuperabile per anguſtiorem peluis aperturam, partus negotium (*o*), oris vteri anguſtia, difficilior et inſuffici-



(*o*) Hanc cauſam facile ratio praeſenſerat; rationem vero confirmarunt plures obſeruationes. Inter alias autem in *Ephemerid. Acad. Nat. Curioſ.* anno 5. 6. decurr. 3. obſ. 133. Celeb

ſufficiens dilatatio, ab excreſcentia carnea, vlcere, ſcirrho occluſio (*p*), mala vteri conformatio, nimia in grauiditate extenuatio (*q*), inaequalis, a placenta in latere radicata, expanſio (*r*), violentae vteri in partus labore ſupra foetum progredi non potentem contractiones (*s*) ſaepe rupturae cauſae exſtitere.

*Ex*

Celeb. HARDERI, vbi apophyſin acuminatam circa commiſſuram oſſium pubis rupturae cauſam allegat; obſeruatio Celeb. DOLDII, BONETO relata, vbi oſſis pectinis nimium depreſſi malam conformationem cum tenuiore ſolito vteri ſubſtantia de vteri ruptura et morte appellat.

(*p*) Hanc cauſam STALPARTVS VAN DER WIEL. cent. poſt. part. priore, pag. 319, ex ratione ſtatuit. *Fabric.* HILDANVS cent. 1. obſ. Chirurg. 64, ex obſeruatione in caſu Aurificis vxoris. Nec tamen huius experientia ſola eſt, accedit adhuc obſeruatio *Tobiae* KNEBLOCKII archiatri Onolsbacenſis etiam BONETO recenſita, *in anat. pract. T.* 2. *pag.* 110. in *Miſcell. Acad. Nat. Curioſ.* anno 2. decad. 1. obſeruatio 254. TVDECIS *de monte Galea.* Item decad. 2. anni 7. obſeruatio X. ſub finem *Ludov.* WIZEL.

(*q*) LA MOTTE *traité complet des accouchemens à Leide cap. V. lib.* 4. *pag.* 463. ex ratione: STALPARTVS cent. poſt. parte priore, ex obſeruatione XXX, vbi rupturae vteri cauſam tenuitatem ſubſtantiae vteri inuenit in cadavere. Idem confirmat D. WIZEL obſeruatione modo citata his verbis: *Rupturae cauſa fuit, quod medietas vteri in parte dextra ſcirrhoſa reliqua foetui locum concedens nimis attenuata laboribus partus rupta fuerit.*

(*r*) Vterum inaequaliter ex radicata in latus placenta expandi diſtendiue, infinitis euicit obſeruationibus LEVRETVS, vnde etiam vterum in tenuiori regione rumpi poſſe ratio dictat, neque in hoc negotio adeo infelicem eſſe euidenter demonſtrat obſeruatio D. BVZAN, *Suite des obſervations*, LEVRETO recenſita, pag. 74, vbi praeter praeclara vteri rupti phaenomena, etiam vterum in ſiniſtro latere perruptum inuenit, radicata in latere dextro vteri placenta.

(*s*) Hoc in plurimis obſervationibus obtinuit. Sic in illa *Fabric.* HILDANI cent. 4. obſ. 57. in matrona Bernenſi. In illa MAVRICAEI obſ. 251, vbi hanc maximam vteri rupti cauſam ſtatuit. Vti et in illa iam citata KNEBLOCKII.

## *Ex parte Foetus.*

Craſſum nimis infantis caput (*t*), caput inclavatum (*u*), infans robuſtior, fortior (*x*), inique ſitus (*y*), a quacunque demum cauſa conuulſus (z).

## *A cauſis externis et aliis.*

Sic a violenta abdominis percuſſione (*a*), caſu (*b*), preſſione (*c*), iniquis obſtetricum Encheireſibus (*d*), medicamentis partum expellentibus (*e*) vterum ruptum legimus. §. IX.

(*t*) Idque ex omnium obſtetricantium ratione, ſimul ex obſeruatione D. BVZAN. obſeruatione 49. vol. 2. *Act. Acad. Nat. Curioſ.* facta a Celeb. viro TREW. Idem et ex propria obſeruatione aſſero.

(*u*) Hoc ex obſeruatione MAVRICAEI clarum eſt. Euidentius vero longe ex mea patebit.

(*x*) Ex ratione LA MOTTVS, hanc vero omnes caſus corroborant. Sic in obſeruatione D. BVZAN. in obſeruatione 151. vol. 5. *Act. Acad. Nat. Curioſ.* a Celeb. HAASIO conſcripta. Obſeruatione Celeb. viri TREW, MAVRICAEI, propria.

(*y*) In illa Celeb. HEISTERI *Act. Acad. Nat. Curioſ.* vol. 1. pag. 399. iniquus foetus ſitus cum vehementiſſimis doloribus rupturae vteri cauſa fuiſſe videtur. Eadem in illa *Fabric.* HILDANI, de matrona Bernenſi et aliis plurimis.

(z) Hoc LEVRETVM D. SOVMAIN, eius in arte praeceptor, ex frequenti obſervatione edocuit. Idem GUILLEMEAU *de l'heureux accouchement* pag. 636 et ſequentibus etiam notauit, item DOLDIVS et alii.

(*a*) Hoc ex pluribus obſervationibus lib. 2. pag 12 euincit *Henr.* ROONHVYSIVS.

(*b*) Seu ſupra tumidum abdomen ipſum, qualis eſt obſeruatio in *Hiſt. Acad. Reg. Scient.* anno 1709 ſatis rara. Supra genua, qualem caſum recenſet FAVSSIVS in Epiſt. ad STRAVSSIVM citante BARTHOLINO *de inſolitis partus viis* pag. 76.

(*c*) Vt ex mea obſeruatione dein patebit.

(*d*) Iniquis vterum Encheireſibus ab obſtetricibus dilacerari rara exempla non ſunt, recenſent MAVRICAEVS; LAMOTTVS; Notabilis vero hiſtoria eſt D. PEU, *Practique des accouchemens*, vbi caſum D. GERVASIO dilaniatae narrat pag. 341.

(*e*) SALMVTHVS id ex obſeruatione 6. cent. 1. fol. 12. confirmat.

§. IX.

Quantumuis vero vnaquaque harum caufarum apta nata fit, quae rupturam vteri efficiat, non ideo tamen velim putes, praefentem crudele hoc malum femper adferre; de contrario omnis fere partus praeternaturalis conditio conuincit, quae quoties cum caufis rupturae, fine huius tamen effectu obtineat millenae obferuationes, docent; et haec fecuritatis et non praeuifi mali ratio femper fuit; nihilominus tamen vbi plures concurrunt, maxime vero inuoluntaria vteri aut violenta contractio cum robuftioris foetus tranfprimi negantis renixu et conuulfione, certa vix non femper calamitas imminet, vt id omnes fere obferuationes liquido confirmant. At quo in loco vterus rumpitur? an omni vifceris parte hunc foetus dilacerat? et quae denique vteri rumpendi, aut iam difrupti figna?

§. X.

Perlegendo citatorum virorum obferuationes, conftat euidenter fundum vteri (*f*), latus fundi finiftrum (*g*), latus fundi dextrum (*h*), latus

(*f*) LA MOTTVS l. c. obf. 316. cum SOLINGIO, STALPARTVS *cent. poft. part. priore*, obf. 30 videre, in cadauere in *Nofocomio Dei* dicto Parifiis, PINNEAU, GUERIN, LANAY Chirurgi, praefente et citante GUILLEMEAU pag. 239. GREGOIRE, referente PLANQVE Doct. Med. in *Bibliotheque choifie de Medecine* Tom. I. pag. 121; quod tamen fpeculatione maior, quam obferuationibus prudentior impune negat ROEDERER in *element. art. obft.* cap. XXV. §. 784.

(*g*) Vt notauit D. BVZAN in obf. cit.

(*h*) In obferuatione MAVRICAEI.

latus vteri ſiniſtrum (*i*), latus vteri dextrum (*k*), ad ileon dextrum prope ceruicem (*l*), ad partem inferiorem paulo ſupra internum os (*m*), ad partem inferiorem et anteriorem paulo ſupra internum os (*n*), verſus ceruicem ſiniſtri lateris (*o*), ad partem inferiorem et poſteriorem in ipſo ore (*p*), infra os in parte poſtica vaginae (*q*), in eius parte dextra (*r*), a foetu diſrupta et dilacerata fuiſſe. Inſuper vterum diuerſis in locis fiſſum,

(*i*) Latus ſiniſtrum vteri omnino perruptum ſiue perforatum vidit cum HEISTERO, DIEFENBACHIVS, ad latus ſiniſtrum ibi loci, vbi vena et arteria Hypogaſtrica verſus medium vteri corpus aſcendunt, vterum cum his vaſis ruptum fiſſum vidit in alia obſeruatione GUILLEMEAU, praeſentibus PINEAU Chirurgo Regio, FABER, BAILLOU Doctoribus medicis; in parte ſiniſtra vna cum Secundinis diſruptum TVDECIS, obſ. citat.

(*k*) In obſ. KNEBLOCKII, in matrona Bernenſi HILDANVS.

(*l*) SALMVTHVS obſ. citat.

(*m*) Quo ſcilicet loco communis membrana a peritonaeo proueniens inteſtinum rectum ſimul cum vtero cingit veſtitque STALPARTVS cent. 1. obſ. LXVI. pag. 287. vt et Clariſſ. TREW in parte poſtica inteſtino recto proxima.

(*n*) Verſus pubem ruptum ſe inueniſſe vterum teſtatur Celeb. REISELIVS *Miſcell. Nat. Curioſ.* decad. 2. anno 7. obſeruatione X. in articulo colli vteri ad pubem rupturam inueni ipſe.

(*o*) Verſus ceruicem ſiniſtri lateris ita perforatum, vt ferme pugnus intromitti potuerit, vidit *Andr.* LÖW, in *Ephemerid. Acad. Nat. Curioſ.* decad. anni 9. obſeruatione 115. in vteri collo non procul ab orificio ſub ſiniſtro pubis oſſe Celeb. HARDERVS obſeruat. iam citata.

(*p*) Vt ex caſu D. DEJEAN, Chirurgi Aurelianenſis, vna cum vtero LEVRETO miſſo patet, vt et in alia mea quam mihi obſtetrix communicauit, obſeruatione.

(*q*) Vt in obſeruatione XXV SAVIARDI *nouveau Recueil des obſervations à Paris* patet.

(*r*) Sic in Hiſtoria Celeb. HAASII, duos digitos transverſos infra orificium vteri et quidem in latere dextro rupturam factam aſſerit obſeruator.

fiſſum (*s*), et a partibus quibus annectitur totum auulſum (*t*) his in circumſtantiis legimus.

§. XI.

Ex quibus omnibus §. VIII et X praeter varias rupturae vteri cauſas, nullam fere vteri regionem, nullam vterini corporis partem hoc infortunio immunem fuiſſe conficio, et aeque ex radicata placenta fortiorem et praemunitum locum, quam debilem dilacerari et perfodi. Sed iam de rumpentibus vterum foetus membris agendum eſt.

§. XII.

In duabus obſeruationibus LA MOTTVS, vt et in vna ALBINVS, vterum a foetu perforatum pedibus, viderunt. Retulit *Acad. Reg. Scient.* GREGOIRE ſe in vno caſu pedes trans fundum vteri a latere placentae actos vidiſſe. In parte ſiniſtra vna cum ſecundinis pedibus vterum perruperat infans TVDECIS, BVZAN pede vno fundum vteri perforatum conſpexit. In vna obſervatione STALPARTII genubus et pedibus vterum fodiſſe videtur foetus. Celeb. viri HEISTERVS, *Fabric.* HILDANVS, REISELIVS, DOLDIVS, DEJEAN, SAVIARDVS, vterum et vaginam capite dilacerata viderunt; ex quibus patet pedes,

(*s*) *Andreas* LÖW obſ. citat. caſu altero agit de muliere, quae per tres dies noctesque ſtrenue vſque ad mortem nixa eſt, inciſo abdomine vterus pluribus in locis fiſſus inueniebatur.

(*t*) DOLDIVS obſeruatione citata haec verba habet, *auulſus fuit vterus et dilaceratus a ceruice ſeu ſinu muliebri omnibuſque vicinis partibus quibus adnaſci ſolet.*

pedes, genua, caput, eas foetus partes plerumque eſſe, quae vterum transfodiunt. Sed an hae ſolae (*u*)? an non medius diſtractus abs harum partium transfoſſione, rumpi vterus poteſt? Has quaeſtiones, quas et phyſica cognoſcit ratio, et confirmat experientia, iam non euoluam, accuratius de vteri diſrumpendi, aut iam diſrupti ſignis acturus.

## §. XIII.

Quantum in vtroque hoc capite deſit, vnica haec, licet nec arti decora, nec honorifica conſideratio conuincit, quod tum in citatis omnibus obſeruationibus, in quibus adhuc pro artis emolumento aliquid erui, tum in aliis, quas euolui, et ex quibus ne minimum exprimi poteſt, non vnica ſit, in qua obſeruatorem non dicam rupturam praedixiſſe, ſed tantum iam factam, ſine cultro aut ignaro mali praetentatu cognouiſſe vtcunque intelligas. Quoniam vero crudelem hanc mortem ſubire parturientes non poterant ſine adeo ſaeuis, qualis mors ipſa, pathematibus, ex recenſitis omnibus obſeruationibus cuncta colligere decreui, vt ex his Semeiotices eruenda doctrina ſecurior et firmior euaderet, et ex his, ex quibus ſalus, ex quibus deſperatio oriatur, intelligeretur.

## §. XIV.

Quibus igitur in partus negotio rumpendus vterus eſt, iis vaſtum et diſtentum abdomen, retracta

(*u*) VESLINGIVS *Syntag. Anat. cap.* 7 aſſerit ſe nunc caput, nunc pedes, nunc manus per vterum ruptum in abdomine inueniſſe.

tracta vagina (*x*), orificium altum, dolores quidem veri ſed violenti, ſine magnis interuallis frequentes, ſine partus progreſſu ingrati (*y*), cum cauſis §. VIII recenſitis ſtatim ab initio, aut medio naturalis nixus tempore (z) adſunt. Atque hoc

(*x*) Haec ſigna vel maxime obtinent in illis, quibus robuſtus, voluminoſus, infans, in ſuperiorem peluis aperturam intrare non poteſt, et ex validis ad partum conatibus vteri vaginam perrumpit infans et capite abdomen ſubit, hoc ex propria obſeruatione habeo. Ventrem elatum, ita vt gemelli adeſſe crederentur, habuit mulier Celeb. Viri TREW, obſervatione citata.

(*y*) Hoc conſtanter omnes teſtantur; *per vndecim horas doloribus violentis, longis, frequentibus, fuiſſe vexatam parturientem* LA MOTTVS, obſ. citata. De Jonae Pergo habet STALPARTVS, *vehementius longe quam quidem praecedenti tempore dum pareret, vſque ad tertium diem infeſtatam cruciatibus fuiſſe.* Maximos pariendi conatus habuere mulieres, HEISTERI et MAVRICAEI, et ambae, LÖW. in nullo partu crudelius nitebatur quam in vltimo grauida BVZAN. ambae mulieres apud HILDANVM *adeo acerbis ac vehementibus corripiebantur partus doloribus, vt vix ſimiles obſeruati ſint.* Dolores violenti ex improuiſo grauidam corripientes proximi partus ſpem fecerant, dicit SAVIARDVS, nihilominus tamen duorum dierum ſpatio continuauere ſine progreſſu. In obſeruatione *Adami* LOSPICHLERI in *Ephemerid. Acad. Nat. Curioſ.* Cent. 1, 2. Caſu 149, ingraueſcebant pariendi conatus tanta intra biduum per vices vehementia, vt de hora in horam deſideratiſſimus rei euentus a cunctis auidiſſime exſpectaretur. Item laborioſo partu miſere torquebatur mulier Pragenſis; obſeruante TVDECIS. Doloribus lancinantibus, non remittentibus, ſed magis acutis, a primo partus exordio corripiebatur mulier apud HAASIVM.

(z) Atque in hoc recte ab illis doloribus vltimis expulſiuis diſtinguuntur; notum enim eſt, in partu naturali dolores ſemper increſcere, ita vt dum naſciturus infans eſt, adſint etiam nolentibus inuoluntarii, et premere coactis vehementiſſimi, hi vero ipſi dolores, iis quibus vterus rumpendus eſt, medio nixus tempore contingunt nondum coacto in formam capite.

hoc adeo terribilis mali exordium eſt. Ruptis (*a*) aquis vero, dolores vehementius inſtant, ſine intermiſſione improbi, ſine partus ſpe crudeles ita mulierem diſcruciant, vt et ignarum vulgus his non enixam miſeranter miretur. Atque tum alia omnium

(*a*) An in partus negotio ſtantibus adhuc aquis, vterus rumpatur quaeſtio eſt, medentium attentione digniſſima. Quod probata facti veritas, iam ab exordio talis partus omnium animos terrore adimplere, falſitas hoc exonerare debeat; idque ex multis rationibus, ſi enim iam ante aquarum effuſionem rumpitur vterus, vix exortus partus iam eſt immedicabilis, et primi dolores iam vltimi eſſe poſſunt, ſin vero contra, non niſi aquis effluxis ruptura timenda eſt, eſt primo negotio ſecuritas et deliberationi tempus. Vtrimque rationum momenta iam recte diſcutiam.

Omnes obſeruationes authorum (Nro I. e.) recenſitorum, in quibus per vterum ruptum ſuppuratum ad vmbilicum, inguina, aluum, nata exulceratio eſt, et foetus vel integer vel per partes eiectus, exemtus, totidem teſtimonia eſſe videntur vteri ſtantibus aquis perrupti, item clarior ſuper hac re eſſe videtur obſeruatio FAVSSII vt et illa ROONHVYSII. Denique GVILLEMEAU vteri rupturam ex artificiali membranarum foetus dilaceratione praeueniri poſſe ſtatuit, quod et ipſe aſſumſit SIMON, euidenti argumento his praeſentibus rupturam timuiſſe GUILLEMEAU, id etiam crediliſſe SIMON, quum ex priori citet, caſum *vbi infans medio in abdomine aquis innatauit*. Atque haec fortiſſima quidem ſunt huius partis argumenta.

In contrarium ſtant ipſa GVLLMANNI in vol. I. *Act. Acad. Nat. Curioſ.* obſ. 3, vbi habet grauidam a tonitru perculſam poſt octo tantum dies, foetum conuulſis rigidisque membris mortuum edidiſſe, puerperio ſine rupti vteri ſigno incolumi. 2. Ipſae omnes obſeruationes adeo mancae ſunt, vt pro hoc puncto vix aliquid adferri poſſit, quando aquae ruptae ſint, deeſt in caſu FAVSSII, vt et in aliis fere omnibus, quarum teſtimonium in hac re vel inde nullum eſt, quod hoc in partus doloribus factum non ſit, de qua re hic quaeſtio eſt. Quod praeceptum et caſum GUILLEMEAU ſpectat, quum de conuulſione parturientium agat, ſtatuo id auxilium eſſe in hoc caſu indicatum, non vero in violen-

omnium rerum ratio eſt, eaque vel maxime periculoſa; iam enim ſe iactare foetus, vterum variis, nec limitatis interuallis premere, quatere (*b*), ſedem angoris (*c*) dolenter circumſtantibus monſtrare mater, donec tandem violentiſſimo ſubſultu elatus (*d*) foetus, contractum calcitratu vterum

violentiſſima vteri contractione, vbi ex vehementiſſimis doloribus et ſubſultu infantis vterus rumpendus eſt, alias enim ablata ab effluxis aquis reſiſtentia, arctius ſe contraheret vterus, infans magis in anguſtum redigeretur, vnde facilior ruptura. Ex *Act. Acad. Reg. Chirurg.* eruta difficultas nulla eſt, quod textum GUILLEMEAU corruperit, ſic enim pag. 321. vol. 2. habet SIMON, *L'enfant nageoit dans le ventre avec les eaux.* dum GUILLEMEAU l. c. pag. 239. ſcribit, *L'on trouva ſon enfant*, (dans le ventre) *nageant avec les boyaux.* quae ſane non parua differentia eſt. Ex his patet, nihil certi in hanc rem ſtatui poſſe; hucuſque vero in bene deſcriptis obſeruationibus vterus ſemper poſt effluxas aquas ruptus eſt.

(*b*) Hoc ſignum vix non ſemper cum praecedenti obtinet, licet ex citatis obſeruatoribus pauci id retulerint. Recenſuere tamen LAMOTTVS, GUILLEMEAU pluribus locis, DOLDIVS, LEVRETVS, ex obſeruationibus

(*c*) Illa angoris ſedes vel ideo maxime notanda eſt, quod in illo loco vterus rumpendus veniat, non tamen illa confundenda eſt cum altera, quae iam rupto vtero naſcitur. Diverſa vtriuſque ſigna hanc facile diſcernunt.

(*d*) Pauci id etiam notarunt. LAMOTTVS dicit adeo terribilem infantis ſubſultum ſuam mulierem ſenſiſſe, vt ſtatim animo deficeret; exquiſite vero DOLDIVS his verbis: *inſtantibus vero partus doloribus iiſque vehementiſſimis, (valide quippe puer mouebatur) atque ſaepius toto triduo recurrentibus, quibus miſere ſed fruſtra excruciabatur, dolorum tandem ſaeuitia potiſſimum tamen vltima illa nocte illis exaſperatis viriumque reſolutione proſtrata interiit;* non minus egregie in HAASII obſeruatione, in qua *licet etiam obſtetrix parturientem adſtringeret, vt omnes quas poſſet intenderet vires, ad partum expellendum, et mulier etiam faceret, tantum tamen abfuit, vt partus ſuccederet, vt potius totus inſequens octavus*

vterum perfodat, aut membro magis obtuſo dilaceret (*e*).

§. XV.

*Vteri iam diſrupti ſigna.*

Vt primum vero ingentem hunc foetus in vtero ſuccuſſum, quem etiam adſtantes quandoque exaudiunt (*f*), mater ſenſit, plerumque ex vehementia doloris animo linquitur (*g*), dein vero interpoſito tempore ad ſe redit, et longe melius (*h*) ſe habere videtur; foetus motum, qui iam in eo, quem ſibi parauit, tumulo immotus plerumque quieſcit, raro vel nunquam amplius perſentit:



*vus dies Octobris inanibus conſumeretur laboribus ad horam vſque tertiam pomeridianam, quo tempore obſtetrix ad aliam parturientem accerſita priorem in lectum portatam dereliquit; vbi non niſi vnum alterumue experiebatur dolorem ad partum, quo finito ſtatim de dolore maximo in dextro abdominis latere prope os innominatum valde conqueri inchoabat.*

(*e*) Vt in praecedenti Celeb. HAASII caſu factum eſt, vbi capite infans vaginam perrupit, recte ibi loci vbi illum dolorem maximum ſenſerat, atque hac via in abdomen irruperat foetus.

(*f*) Sonum tanquam crepaturam audiuit mulier apud FAVSSIVM, idem iam vt ſignum vteri rupti ſtatuerat Celeb. HEISTERVS *Chirurg. Tom. 2 de partu Caeſareo, pag. 726*, iam id edocente BAVHINO. In obſeruatione *Andr.* LÖW *fragor auditus eſt ingens; poſt quem dolores ceſſarunt penitus; ſine dubio tunc temporis diffracti vteri ſignum.*

(*g*) Notauit id in ſua obſeruatione LAMOTTVS, ex obſeruationibus D. SOVMAIN, LEVRETVS; idem in alia factum eſt, quam noui, ob circumſtantiarum vero defectum non deſcribam.

(*h*) Quod inde euenire videtur, quod violentiſſimi miſeram torquentes dolores ante rupturam, illico vbi ruptura facta eſt remittant, vnde etiam STALPARTVS in obſeruatione *Jonae de Pergo ab illo tempore* (quo nempe vterus ruptus eſt) *multum leuaminis ſibi obveniſſe faſſam.* Idem LEVRETVS et alii obſeruarunt.

tit (*i*): absunt et partus omnes dolores (*k*). Quam vero inania ex remisso dolore ad salutem signa haec sint, ex sequentibus symptomatibus patet, breui enim, ex effuso, ex patulis vteri vasis, vitali humore aut foras effluere sanguis (*l*), aut vndequaque se attollere, et in latitudinem pristinâ destructa formâ se laxare abdomen (*m*), membra

(*i*) Posteaquam violentissimi dolores cessarant apud parturientem D. BVZAN, iam per sex horas, intra quod tempus ille aduocatus fuerat, nec partus dolorem, nec infantis motum mulier senserat; vt primum ingentem illum subsultum foetus experta fuerat mulier apud LAMOTTVM, infantem amplius non percepit; hocque in aliis obseruationibus vix non perpetuum est, teste Celeb. LEVRETO.

(*k*) Hoc iterum vix non in omnibus obseruationibus verum est, dolores omnes et conatus parturientium cessasse nec deinceps rediisse in matrona Bernensi, HILDANVS. *Licet adhiberentur tam externe quam interne fomentationes, inunctiones, clysteres ex speciebus emollientibus carminatiuis cum oleo momordicae, cum internis pulueribus ad partum, Augusl. borrace, aloe succotrina, croco, trochiscis de Myrrha, potiones confortantes, pellentes*, etc. *frustra tamen se operam sumsisse* fatetur *Andr.* LÖW. *nullus rediit dolor;* quod medicis simul indicare videtur, quam sint inania ex medicina, his circumstantiis praesidia. Confirmant id obs. SCHOLZII, LOSPICHLERI: in quibus etiam nullus rediit dolor; in obseruatione HAASII tamen, vbi iam diu a rupto vtero *in sellam obstetriciam deportaretur, demo duo tresue, licet non tanto labori pares, inchoabant dolores.* an veri fuerint, dubitari merito subit; rem vero ipsam sic clare proponit, reliqua omnia rite erant comparata, nisi quod ipse vterus iam ita contractus fuerit, vt magnitudinem capitis infantis non excesserit; vnde clare patet fuisse iam dolores secundos seu posthumos.

(*l*) Hoc in obseruatione Clariss. TREW. quandoque tamen ob praeuium caput effluxus sanguinis impeditur, vt in obs. D. BVZAN, quandoque parum effunditur, vt in mea contigit, licet ad vteri orificium dilaceratio facta sit.

(*m*) Notauit id LAMOTTVS, qui mulieris ventrem durum tensum et dolentem inuenit,

membra foetus tactu distinctius longe percipi (*n*): mulieri non amplius constare vultus, sed decolorari facies, excauari oculi, obnubilari, susurrare aures, decidere, pulsus intermittere, iam mortis frigus artus, corpus viscidus sudor occupare, tum vox deficere, frangi, animus linqui, mulier conuelli (*o*), donec tandem mente et sensu capta crudeliter rapiatur.



venit, abdomen valde tumidum, et hinc inde cum primis in regione epigastrica atque lumbari sinistra inaequale deprehendit Clariss. TREW. maxime inflatum sed molle et sub pressione fugiens D. BVZAN; tumidum tensum inaequale ego ipse inueni; quadratum, sed molle vult esse LEVRETVS.

(*n*) Id iam inter signa vteri rupti posuerat Celeb. HEISTERVS, nec tamen perpetuum est.

(*o*) Non omnes semper eandem mortem obiere: animam placide reddidit mulier SCHOLZII; HAASII mulier praecedentibus lipothymiis placide mortua est, illa LOSPICHLERI exhausta integris sensibus extincta est, prima mulier *Andr.* LÖW horroribus circa vterum corripiebatur, multum sitiebat, accedentibus lipothymiis et conuulsionibus decessit, mulieres DOLDII, LAMOTTI, virium resolutione prostratae interiere; Ionae de Pergo apud STALPARTVM, non solum deliquiis, oppressione, horrore, febri, sed et plurimarum obscure viridium faecum vomitu, reiectione, angoribus, victa decessit mulier BVZAN, viribus fracta oculis semiclausis, voce quassa vix exaudienda, pulsu debili, paruo, ventre inflato sed molli extincta est. His in casibus animi deliquia, conuulsiones, cum et sine mentis alienatione notarunt WELSCHIVS, DIONISIVS, PISTORIVS, ex obs. SOVMAIN, Celeb. LEVRETVS; sic in mea obseruatione, dum frequentes habuisset animae defectiones mulier, conuulsa rapta est. Optime vero iam ante omnes CELSVS *lib. 5, cap. 26, nro. 13* de signis percussae vuluae: *At cum vulua percussa est, dolor in inguinibus et coxis et feminibus est: sanguinis pars per vulnus, pars per naturam descendit: vomitus bilis insequitur. Quaedam obmutescunt; quaedam mente labuntur; quaedam, sui compotes, neruorum oculorumque dolore vrgeri*

## §. XVI.

Scire tamen adhuc oportet, nec eam pathematum ſeriem conſtantem eſſe nec perpetuam, ſiquidem aliquibus has, aliis illas vel maxime torqueri, obuenit; imo quaſdam, quod funeſte ſubdolae mortis eſt, ſine omnibus vteri perrupti ſignis conquieſcere et mori (*p*): alias iterum per diuerſos a prioribus cruciatus, noua tormenta, ad vltimum vitae terminum perduci. Atque in his fere tanta ſuppliciorum varietas eſt, quantus diſpar in omnibus mobilitatis et irritabilitatis gradus, quanta eſt functionum, viſcerum in abdomine contentorum, et ex vtero in hoc erumpente foetu laeſorum, diuerſitas, verbo qualis eſt ipſa laeſio et viſcus laeſum, tale eſt mulieris tormentum.

§. XVII.

*ri ſe confitentur; morientesque eadem, quae corde vulnerato patiuntur; ... ſanguis multus fertur, venae languescunt, color pallidiſſimus, ſudores frigidi malique odoris, tanquam in aegroto corpore oriuntur; extremiſque partibus frigidis matura mors ſequitur.*

(*p*) Qualis mirabilis exſtat apud GUILLEMEAU, l. c. pag. 235 caſus, quem ex gallico idiomate in latinum ſic transfero.

Domina De MOMMOR 25 annorum primis ad quartam aut quintam matutinam, partus admonetur doloribus, ſurgit tamen et vicinum templum petit; redibant per interualla partus dolores; profluebat continuo ſanguis. Ad finem tertiae diei placide parturit abs obſtetricis auxilio, nam et placenta foetum ſtatim ſecuta eſt; nihilominus tamen adhuc eadem die ad noctem exſpirauit; intentiore quidem, primo, a parentibus qui mortuam eſſe credere non poterant, animo ſeruabatur; apertum vero dein cadauer vterum ruptum exhibuit.

Ex qua quidem obſeruatione praeter argumenti probationem patet, non ſemper ex vtero rupto in abdomen foetum, ſed et in mundum naſci.

§. XVII.

Itaque vt primum vterus perruptus eſt, extenſus per vterum in abdomen, vel vtero relicto, in hoc totus effuſus foetus premendo diaphragma, ſingultum, reſpirationem difficilem, oppreſſionem, anxietatem, animi deliquia, conuulſiones; ventriculum, ingentem grauitatem, dolorem, vomendi conatum, vomitum (*q*); Hepar, anxietatem, bilis porraceae reiectionem; inteſtina, dolores colicos (*r*), iliacos; Lienem, obtuſum dolorem, oppreſſionem et prioribus ſimilia aut diuerſa ſymptomata excitat. Quodnam vero horum viſcerum id ſit, quod patitur, docet cognita partium in cauo ſedes, laeſa harum functio et acerrimus, quem priorum omnium oblita puerpera circumſtantibus verbis, manu, oculis deſignat, reſidens noua in parte dolor nec dimittens angor (*s*). Atque hic fere omnium calamitatum finis eſt.

 §. XVIII.

(*q*) Vomitum rupto vtero ſaepius adeſſe teſtantur obſervationes: mulier REISELII obiit praecedente ſaepius vomitu; continuo bilem porraceam vomebat mulier in mea obſervatione; idem mulieri LAMOTTI contigit; in obſervatione Celeb. HAASII poſt vterum ruptum ingruebant vomitus, qui in bilioſos nigerrimos poſtridie mutati ſunt; ſic etiam in illa mearum obſeruationum, quam ad finem communico, miſere ſingulticbat mulier.

(*r*) Sic in SAVIARDI obſeruatione in ventriculo gravitatem, horrendos in abdomine cruciatus ſentiebat mulier, ita vt in ventrem humi procumberet, aperto cadauere erant corroſa inteſtina, ventriculus, infantis pedibus, preſſus.

(*s*) Frequentibus id obſeruationibus LEVRETVS teſtatur, ſemel et ego eundem in regione Hepatis obſeruaui, neque tamen id mirum eſt, quum iam in abdomen natus foetus, aliud viſcus mulctet; vt euidentiſſime ſuperius ex cadauere a SAVIARDO inciſo patuit.

## §. XVIII.

Notatu vero in his omnibus vel maxime necessarium est, quandoque intra solum metum periculum consistere, et hoc obstetricantem defunctum, illo absolui, vt in tribus iam recensendis casibus fieri obseruatum est.

*Primo*, in partu naturali inter nitendum, quandoque ita in longitudinem a foetu extenditur vterus, vt et ventriculum ex compressione euertat, sine eo tamen quod vterum perrumpat (*t*).

*Secundo*, in omni partu moriens in sinu matris foetus, vterum plerumque percutit (*u*), atque id ex conuulsione est.

*Tertio* denique funis vmbilicalis rupti casus vterum perforatum ex affe. mentitur; his enim rebus et subsilit infans et vterum percutit, epigastrium vndique eleuatur, intumescit, viribus fracta mulier iacet vt percussa, quod Clariss. LEVRETO videre contigit (*x*). Ex his vero patet, id quod in arte salu-

(*t*) Vomere parturientes non adeo infrequens est, et vix notatu dignum; sed ab extenso a foetu vtero ventriculum euerti rarius et scrupulosius obseruandum, ne statim vteri ruptura, quae aliquando timenda non est, timeatur et in praeceps nimis praesidium Chirurgus delabatur. Sic rara apud parturientem obseruatione mihi videre contigit, foetu ad partum bene dispostio oboriri dolores spurios, ab his vterum in longitudinem extendi, ita vt illius fundum fere ad cartilaginem Ziphoideam perciperem, mulierem inde saepius vomere, abs illato damno; mutatis enim rebus feliciter peperit. Id vero in emortuis foetibus saepe obvenit.

(*u*) Hoc obseruatoribus satis superque notum est. Ego quidem ex hoc solo signo in haemorrhagiis, iam saepius momentum, quo exspiraret foetus, edixi.

(*x*) *Suite des observations* pag. 187, obseruatione trigesima tertia, quae ob casus raritatem quoad in rem nostram facit, hic transcribi meretur:

Je

ſalutari, verum et certum habetur eſſe in confinio falſi et dubii, in eo vt exacte interdiſtinguantur neruum eſſe, ne curationes inter ſe confundantur; in prioribus tamen caſibus fere ſecuritatem dant dolores ſpurii vterum eleuantes inflantes quaſi, quod maxime in primo verum eſt, quies

 et

Je fus appellé à dix heures du matin le 24 Août pour accoucher une Dame à terme de ſon troiſiéme enfant. Cette Dame eſt agée de 35 ans, elle eſt d'une petite ſtature, mais bien faite & d'un bon tempérament; elle n'avoit pas eprouvée la moindre incommodité pendant tout le tems de ſa groſſeſſe, ſi non que dans les derniers mois, elle eut les extrêmités inferieures enflées & ſurtout la droite, & qu'elle étoit ſujette par intervalles, à quelques crampes dans ces parties, quoiqu'elle eut été ſaignée quatre fois en différens tems.... Il y avoit alors huit jours conſecutifs qu'elle perdoit de moment à autre ſes eaux: elle m'apprit qu'elle avoit été 36 heures en travail de ſon premier enfant, quoiqu'il ſe préſentât bien, mais parce qu'il étoit d'un volume conſiderable; qu'on avoit été obligé de retourner le ſecond qui étoit auſſi trés-gros: & qu'elle avoit reſtée toutes les deux fois trés long-tems aprés être accouchée ſans uriner.

Je touchai cette Dame qui avoit des douleurs depuis le point du jour; je ſentis au fond du vagin, une petite portion d'un fort gros globe, mais je ne pus atteindre l'orifice parce qu'il étoit encore trop haut & ſitué trés-poſtérieurement, à raiſon de ce que le fond de la matrice ſe portoit conſidérablement en devant.... Lorſque j'y retournai à trois heures aprés midi, les douleurs n'avoient pas discontinué. Je la touchai de nouveau, & je trouvai que la portion du globe que j'avois ſentie la premiere fois au fond du vagin étoit deſcendue plus bas, & qu'elle étoit devenue plus groſſe: mais je ne pus encore parvenir à toucher l'orifice de la matrice. Ce ne fut qu'à ſix heures que je commençai à en ſentir le bord antérieur, en forme de croiſſant, qui me préſentoit ſa convexité: il étoit mollet & de l'épaiſſeur d'un ecu de ſix livres au plus, il s'eminça & ſe dilata conſidérablement dans l'intervalle du tems qui ſe paſſa jusqu'à 9 heures du ſoir. Il ſortoit à la fin de chacque douleur un peu d'eau, mais il ne parut point de ſang.... Sur les dix heu-

res

et relaxatio vteri, quod ſecundus ſibi vendicat, maximorum dolorum abſentia, abſentia ſignorum §. VIII deſignatorum, quod omnibus tribus commune eſt; dolores autem veri continui violenti et ſignorum §. VIII praeſentia periculum commonſtrant.

§. XIX.

res l'orifice de la matrice s'effaça tout-à-fait, & la tête rempliſſoit alors présque tout le vagin : la tumeur qui s'étoit formée peu à peu ſur cette tête égaloit à peu prés le volume d'une balle de jeu de Paulme dont on auroit retranché un quart.... Depuis dix heures jusques à deux heures aprés minuit, la tête n'avança plus, quoique les douleurs ſe ſoutinſſent aſſés fortes & trés-prés les unes des autres mais entrecoupées. .. Il ne ſortit plus rien de la matrice... Les grandes levres étoient comme des veſſies pleines d'eau.

Sur les deux heures aprés minuit la Malade ſe plaignit de ſentir quelques treſſaillemens douloureux dans la matrice, ce qui me détermina à ondoyer l'enfant. J'appliquai enſuite légerement mes mains ſur le ventre de la mere qui étoit trés-tendu, dur, & extrémement douloureux, & je diſtinguai, à pluſieurs repriſes de petits coups ſecs & ſubits en diverſes parties de la matrice tout à la fois: ce qui me fit juger que l'enfant ſe mourroit & que ces treſſaillemens étoient des eſpeces de mouvemens convulſifs de toutes ſes parties enſemble. En effet, dés ce moment la tumeur de la tête commença à ſe flétrir ce qui me fit propoſer à la Malade determiner ſon accouchement par art. Elle balança d'abord mais un evenement la determina aprés.... Cet evenement fut qu'à la fin de chacque douleur, le ventre prenoit de plus en plus du volume ſurtout dans la region épigaſtrique. J'y portai les mains & je la trouvaî trés-dure, ce qui me fit ſoupçonner qu'il ſe faiſoit une hémorragie interieure par le decollement de quelques points du placenta, & non par la rupture de la matrice, car alors le ventre devient mollet.... La Malade & ſon pouls s'affoibliſſant je décidai qu'il falloit ſans aucun délai l'accoucher pour lui ſauver la vie.... Je parvins non ſans peine à déclaver la tête... L'enfant avoit autour du col pluſieurs tours de ſon cordon qui l'avoit etranglé:.... désque l'enfant fut paſſé il ſortit tout à coup un flot de ſang & pluſieurs caillots ce qui juſtifia le jugement

que

§. XIX.

Intellectis iam rupturae vteri caufis, rumpendi aut iam difrupti vteri fignis proximum eft, vt de futuri mali prophylaxi, praefentis curatione agamus. De prophylaxi equidem vix aliquid hucusque nifi apud LEVRETVM (*y*) ftatutum eft; de curatione vero diuerfe, quid in adeo graui re fentiam, iam dicam, atque primum de prophylaxi.

§. XX.

Si itaque tali partus negotio implicaretur obftetricans, cuius funeftum ex fignis §. VIII recenfitis, euentum liquido nimis perfpiceret, in id vnum neruum intendere debet, praefentis futurive mali caufas vt expifcetur. Rationalia quidem vt notum caufarum figna, grauiditatis tranfactae, regimen, fanitas, aegritudo, praecedentes partus, ipfa mulieris conftitutio; tactu percipienda vero, abdominis externa infpectio, orificii vteri, vt et foetus exploratio, euoluunt, quafcunque vero invenerit,

que j'avois porté; je comptois conféquemment que le placenta s'étoit décollé, mais ma furprife fut des plus grandes quand je reconnus que c'étoit le cordon ombilical qui s'étoit déchiré....

(*y*) *L'art des Accouchemens demonftré par des Principes de Phyfique & de Mechanique.* Paris 1753. §. 607. „*Quant à „la cure prophylactique de ce „terrible accident, il faut de „la premiere fecouffe doulou„reufe que la femme en travail „fe plaindra de reffentir vers „la region epigaftrique, lui „tirer du fang du bras jusqu'à „ce qu'elle tombe en fyncope fi „la chofe eft poffible.* §. 608. „*Si d'aillieurs on peut trouver „le moment favorable d'intro„duire la main dans la matri„ce & que la tête puiffe être ré„pouffée fans danger, on doit „fe hater de retourner l'enfant „pour effaier par ces précautions „methodiques de le fauver avec „la mere.*„

venerit, ad rationem et experientiam ſtatim ponderet neceſſe eſt, vt an tuto auxilio ſolui velint an negent ante calamitatem intelligat, ne ſero nimis medicina paretur. Quodſi enim aut per malam oſſium pelueos aut huic adiacentium (z) conformationem, aut per craſſius, etiam ſatis recte conſtructa pelui, quod in plurimis obſeruationibus accidit, infantis robuſtioris caput, vterus rumpendus praeuidetur, ſpe extrema omnia pendent. Si vero mala vteri conformatio, vterus in herniam compulſus, nimia vteri, in grauiditate extenuatio, inaequalis a placenta lateri radicata expanſio, oris vteri anguſtia, difficilior et inſufficiens dilatatio, ab excreſcentia carnea, vlcere, ſcirrho nata occluſio, conuulſionibus actus infans, infans inique ſitus, rumpendi vteri cauſae intelligantur, ſalutaris artis praeſidia, non ita exhauſta eſſe, vt vnius auxilium cauſae, alterius ratio ſit, quin contra ex plurimis fontibus, facilem emanare poſſe ſalutem, tenendum eſt. Quod in vlteriori harum cauſarum diſquiſitione, quam iam ſuſcipio, luculentius demonſtrabo.

## §. XXI.

Iniqua oſſium pelueos conformatio, natae in cauo peluis exoſtoſes (quorum alterutrum Rachiticis ſemper proprium eſt) difficile aut impoſſibile plane

(z) Hodie enim certis obſeruatis conſtat, etiam bene conformata pelui, vltimas lumborum vertebras partum impoſſibilem efficere. Item femoris caput ex acetabulo in foramen ouale motum, partum ante reductionem reddidiſſe impoſſibilem communicavit Celeb. LEVRETVS.

plane partus negotium ſemper effecere. Vnde etiam obſtetricantes, ex maiori minoriue tum deformitatis, tum anguſtiae pelueos gradu, diuerſa in his caſibus tentarunt, imo extrema ſtatim ab initio prudenter experti ſunt; verum enim vero ſi deformis et anguſtior peluis iam per ſe operationis Caeſareae inſtituendae potiſſima ratio ſit, in noſtro caſu talis peluis non ſolum obtineat, ſed et vt vteri rumpendi cauſa timenda ſit, patet exciſionem vnicam et ſolam eſſe anchoram ſalutis. Et ſane ſi exciſio aut differtur aut negligitur, in calamitatem omnia recidunt, nihil enim amplius in arte opis eſt.

## §. XXII.

Altera rumpendi vteri cauſa eſt craſſius robuſtioris infantis caput; haec cauſa aeque ac prior impertinens, id adhuc amplius habet, quod bene etiam conformata pelui, vt ſaepiſſime accidit, ſubdola fallax obſtetricantem in naturalis partus ſpem et exſpectationem illiciat, quo interea temporis mortem matri tutius inferat et ſpem in deſperationem conuertat; neque tamen id mirum eſt, obſtetricantis animum adeo facile in cunctationem flecti, quum et ipſa ſaeculorum experientia tot robuſtos vaſti capitis infantes a natura cum tempore tranſpreſſos, tot alios in peluim impactos, forcipe aut aliis inſtrumentis extractos confirmet, neque in initio partus ex capitis mole ſtatim deſperationem adeſſe. Atque ex his rationibus ſemper hunc caſum priori, licet aliis facilior videatur, deteriorem habeo eoque vel magis luctuoſum;

quod

quod dum adhuc certa ſpes ſupereſſe creditur, iam omnis in anguſto conſtituta ſit ſalus.

§. XXIII.

Verum enim vero ſi tanta in ſignis huius caſus allucinatio, ſi eiuſdem cauſae multiplex euentus eſſe poteſt, merito dubitari ſubit, an ab hac cauſa rumpendi vteri prophylaxis poſſibilis? Quum vero vel maxime neceſſarium ſit obſtetricantem in hoc negotio non eludi, irreuocabile hoc praeceptum, quod dubium ſimul diluit, ponam. In caſibus, in quibus etiam bene conformata pelui capitis infantis vaſtitas difficultatem partui adfert, cum euidentibus rumpendi vteri ſignis, partus a natura ſperari citra culpam non poteſt, nec citra ignorantiam debet. Etenim cunctatio ſemper cruenta fuit, vt ex omnibus obſeruationibus patet, et nata ex bene conformata pelui ſpes inanis et vacua; ſed quo auxilio rupturam vteri praeueniri velim rogas? Dicam, operatione Caeſarea. Hoc vero praeſidium iterum primus contra omnium opinionem ex his rationibus propono.

*Primo*, quod in negotio, vbi ex craſſi nimis, robuſtioris infantis capite, ruptura vteri timenda eſt, nullum in vtraque medicina, praeter ſectionem Caeſaream, praeſens auxilium ſit.

*Secundo*, quod verſio infantis, quam quidem, vix non omnes in caſu capitis craſſi nimis, ſatis inepte proponunt, foetui ſemper lethalis, matri vero maxime periculoſa ſit: vt id in alio argumento, quod *Acad. Natur. Curioſ.* miſi, pluſquam ſatis probaui.

*Tertio*,

*Tertio*, quod capitis diffractione per perforatoria, foetus extractione per vncos non ſolum deliberate occidatur, ſed et ipſe vterus ab auxilio in mali prophylaxin vt credunt adhibito, citius perrumpatur. Qui enim aliter fieri poteſt, vt iam validioris roboris foetus, qui, quia ob corporis molem tranſprimi non poteſt, agitatur, ſubſilit, convellitur, ab inſtrumento transfixus in parte totius corporis ſenſiliſſima, non validius ſubſiliat, convellatur, atque his motibus acceleratis et auctis vterum certo certius perrumpat. Atque haec duo tamen auxilia ſola ſunt, quae adhiberi poſſent; alia nulla ars nouit. Quoniam igitur vnum altero iniquius eſt, iterum ſolam operationem Caeſaream mature adhibitam mali medelam ſtatuo (*a*). Vnicum vero id auxilium mali, malo grauius eſſe ab aliquibus obiici poſſe video, nae illi tamen rem recte perſpexere, licet enim ſectio vteri grauis opera-

(*a*) Contrariae prorſus opinionis video eſſe D. SIMON in *Mem. de l'Acad. de Chirurg.* Tom. 2, pag. 333, his verbis: *Désque la femme à les os du baſſin bien conformés & que les parties molles ne préſentent aucun obſtacle par une diſpoſition contre-nature, quelque ſoit le volume de l'enfant, il ne paroit pas qu'on puiſſe être dans le cas de practiquer l'operation Céſarienne.* Precario vero haec et ſine rationis aut experientiae fundamento ſtatui, euidenter ipſe perſpiciet, nec dubito cum illo Pariſienſes, perſpecto hoc caſu, in meam ituros ſententiam, ni forte cum SIMONIO caput hoc vt Hydrokephalon vnco tentari velint; de quo paulo ſupra ſcribens haec habet: *Il n'eſt pas poſſible qu'il ſoit vivant, & que ſa tête ſoit augmenté par l'epanchement Lymphatique ſans mettre obſtacle à l'accouchement. Mais on doit proceder dans ce cas à l'extraction du fœtus avec le ſecours du crochet.* In ea vero re *Academiam Chirurg. Pariſ.* admirari liceat, quod propoſitione, quam experientia refellit, Religio reprobat, obſtetricantes corrumpat; hydrokephalos vitales

operatio ſit, eſt periculoſior ſectione vteri perruptio, et adhuc dilacerato vtero, ad ſectionem abſolute deueniendum eſt, vt dein fuſius dicam.

## §. XXIV.

Atque haec quidem immodicae capitis vaſtitatis ſola vera prophylaxis praepoſtera eſt in illa rerum conſtitutione, vbi maior quidem naturali capitis moles, peluim ſubit, vbi dein anguſtiae viae implicita et retenta, vteri rupturam interminatur, quia ſolus forceps hic tempeſtatem declinare valet, vt immortali exemplo in obſeruatione trigeſima tertia *(b)*, et in alia, quam mihi Pariſiis communicauit LEVRETVS, reliquit; aderat nempe parturienti D. M... quae ob anguſtiorem pelveos conformationem in partu crudelius ſemper nitebatur; effluxerant iam ab aliquot horis aquae, dolores ſolidi infantis caput iam in formam fuderant, vnde emerſionem ſperare poſſet. Exſpectabat, dum ſubito, ſubſiliente infante ſe percuti exclamaret mater, tum ille periculi gnarus, mutato ſtatim conſilio immiſſa forcipe caput prehendit et foetum ſalua matre extraxit.

§. XXV.

tales naſci, plurimis obſeruationibus teſtatur in vol. I. obſ. I. *Act. Helvet. Rudolph.* ZVINGERVS. Hydrokephalon viuum natum annum viuentem, citat in appendice Vol. IX. *Act. Nat. Curioſ.* Celeb. BOEHMERVS. Hydrokephalon viuum natum tres menſes viuentem ipſe LEVRETVS *Suite des obſervat.* pag. 340 ad finem Not. (a). An igitur adhuc impoſſibile Hydrokephalon viuere? an adhuc vnco tractandus? experientiae ferulae animadvertendum facinus committo, iniuriae Cl. HEISTERI quam veritati propius. Sed erubeſcenda omittam.

(*b*) Hanc ad not. (x) §. XVIII ex integro retuli.

§. XXV.

Tertia rupturae vteri cauſa, eſt vteri mala conformatio. Vterorum male conformatorum plurima exempla collegit EISENMANNVS (*c*). Vterum variis locis cartilagineum, et in dura tanquam in cochleas ducta tubera, vidimus Clariſſ. LEVRETVS et ego, in muliere, cui, ſeptimo grauiditatis menſe, morbo demortuae, foetus et dein vterus exſectus. Supernumerarium vteri fundum, a foetu in illo concepto, ruptum habet DIONIS (*d*). Si itaque ex vteri mala conformatione rumpendus in partu veniat vterus, quod non facile ex propriis ſignis intelligitur, nec intereſt, nulla ad partum diſpoſitione ſemper operatio Caeſarea, aperto vero vteri orificio et aquis formatis inuerſio, malum praeuenire poſſunt; eadem de vtero in Herniam compulſo vera ſunt.

§. XXVI.

Nimia in grauiditate vteri extenuatio, vt et inaequalis a placenta in latere radicata expanſio, rupturae vteri cauſae agnitae ſunt. Prima equidem a multis in dubium reuocata fuit, et DEVENTERI et eius commentatoris Galli, diſputationibus adhuc hodie omnium aures calent (*e*). Natura

(*c*) In obſeruat. rarior. *de vtero duplici* Argentorat. 1752.

(*d*) *Diſſert. de Generat.*

(*e*) Non ſolum in foeminas DEVENTERI et MAVRICAEI de aucto vel minuto, ratione grauiditatis, vteri volumine nota diſputatio eſt, ſed hodie etiam in Algebra, quod BRUIER Doct. Pariſ debetur famoſa. Licet tamen re rite (cuius demonſtratio huius loci non eſt) perpenſa, vterque adverſariorum negotium ſuum ſatis male egerit. Hic vero

 mihi

Natura tamen in tempore consulta eam certo certius obtinere hodie veris obseruatoribus, liquido monstrauit, et adhuc saepe in naturali partu per analogiam commonstrat, dum ex sphaera aquarum et capitis in vteri orificium impulsu, vteri orificium, quod ante partum satis crassum fuerat, in chartaceam tenuitatem deducit, et partu absoluto, statim priorem, imo adhuc maiorem illi crassitiem concedit; ex quo euidenter patet, id cum toto vteri corpore fieri posse tempore grauiditatis, quum eaedem leges, quae vteri orificium in hora partus distendunt, extenuant, adsint tota grauiditate pro extenuatione vterini corporis, incrementum nempe foetus et quantitas aquarum; verum vti post partum inspecto vteri crassiori orificio inferre non possum, sic fuisse tempore grauiditatis et partus, quum certus sim magis fuisse extenuatum, ita recto prudentis animi sensu inferri non posse reor, vteri grauidi crassitiem, crassitie vteri mox foeti permetiri. Atque tamen in eo DEVENTERI neruus est.

Secunda STVARTO (*f*), BOEHMERO (*g*) cognita; LEVRETO (*h*) contra eundem DEVENTERVM, qui pertinacius quam verius idque satis inele-

mihi tantum probare incumbit, vterum quandoque nimium extenuari in grauiditate et hinc rupturae caussam existere posse; dabunt id facile omnes DEVENTERI sectatores, quod ipse Magister sub finem Cap. VIII *se semel valde tenuem inuenisse* confirmet.

(*f*) *In Dissert. de Secundinis nociuis aeque ac salutif.*

(*g*) *In Disquisit. I. de vteri grauidi foetusque, a sede placentae in vtero, situ, per regulas Mechanismi deducto.*

(*h*) *Suite des observat.* pag. 41 et seqq.

ineleganter (*i*) placentam ſemper in fundo vteri radicari voluit, ita euidenter demonſtrata eſt, vt hodie, inaequaliter, ex radicata in latus placenta vterum diſtendi dubitari non poſſit. Quodſi igitur ex harum cauſarum vna rumpendus vterus praeuideatur, ſcire oportet, aquarum diſruptionem, aut iam effluxis aquis citam infantis inuerſionem auxilio eſſe.

§. XXVII.

Rupturae vteri cauſae adhuc ſunt, oris vteri anguſtia, difficilior et inſufficiens dilatatio, ab excreſcentia carnea, vlcere, ſcirrho, nata occluſio.

Harum cauſarum aliquot vt etiam paucae praecedentium, mitiorem medicinam admittunt maxime perſpecta vnde propullulant radice, ſic oris vteri anguſtia, difficilior et inſufficiens dilatatio a fibrarum orificii aut colli vteri rigiditate, reſiſtentia, orta, venae ſectio opportune inſtituta, emollientium admiſſus vapor, feliciter ſoluit. Eandem a fibrarum orificii aut colli vteri coalitu, in callum induratione, quorum primum ex dilaceratione in partu, alterum ex inueteratis vlceribus, ſcirrho (*k*) fit, inciſio tollit (*l*). Denique

 ab

(*i*) *In obſ. Chirurg. de arte obſtetr. Lugd. Batav.* 1725, cap. IX, pag. 38, vbi contrariae opinionis obſtetricantes iumentis comparat his verbis: *Hoc pertinet ad iſtud hominum genus, quod inſtar iumentorum piſtrinenſium caecutiens in eadem ſemper recurrit veſtigia neſcium quo loco verſetur.*

(*k*) Qualem caſum in *Mem. Acad. Reg. Chirurg.* Tom. 2, pag. 319 communicauit Celeb. LEVRETVS, quem et ego ipſe coram obſeruaui.

(*l*) Hanc operationem quantum nouimus ex arte primus auſus eſt in *Actis Edimburg.* Tom. III, obſ. XIX, pag. 315. SIMSONVS clarus Profeſſor Scotus

ab excrescentia carnea, orta oris vteri, vaginae, angustia, resciſſa mole ampliatur (*m*). Protinus reliquas omnes rupturae vteri causas, quales sunt conuulsionibus actus infans, infans inique situs iam indicata §. XXIV, V, VI praesidia tollunt, vnde et in his prophylaxis certa et tuta est.

§. XXVIII.

Desiderat iam propriam animaduersionem vteri disrupti casus, cuius feliciter curati, vnicum tantum in Medicorum monumentis a D. RVNGIO, Clariss. HEISTERO (*n*) communicatum, continetur exemplum, quod etsi aliqui ex rationibus infra deductis (*o*) in dubium reuocare volunt, nunquam tamen ea quae hic propositurus sum, auxiliorum genera recenti aut inclinato malo medicinam facere posse negabunt; etenim etsi in hac calami-

Scotus, imitari sane meretur, quidquid timeat §. 1439 in suo opere Chirurgico Clar. PLATNERVS, vtique iam Chirurgiae Gallicae Lumen M. DE LA PEYRONIE sarcoma vteri orificio accretum cum deperditione substantiae exscindi posse reliquit *Mem. de l'Acad. de Chirurg.* Tom. 2 pag. 149.

(*m*) Sic tumorem totam vaginam implentem et partum impedientem exstirpauit felici cum successu D. SOVMAIN in *Act. Chirurg.* Tom. 2 pag. 318. Pariter concretos vaginae lacertos, Galli *brides* vocant, partui difficultatem et rupturae metum inferentes scalpello soluere iuuat, vt recte monuit D. SIMON, qui in his circumstantiis operationem Caesaream inique institui demonstrat, idque adeo euidenter, vt mirum sit, Clar. PLATNERVM eam adhuc vt vnicum in hoc negotio auxilium proponere ausum.

(*n*) Vt id testatur *Chirurg. part. 2 de partu Caesareo*, pag. 728.

(*o*) Dicunt enim, Clariss. HEISTERVM sibi contradicere; pag. enim 728, vbi casum enarrat, videri RVNGIVM versione, vt LAMOTTVS fecit, eduxisse infantem, idque patere ex his verbis,

quod

calamitate ſaepe a ruptura vteri ad mortem vix interuallum eſt, et ipſa etiam ars, ab animi a corpore diſceſſus, celeritate praeuertitur, ſcitur primo, mortem nulla medicina dilui, et mortalium artem mortalem vitae aeternitatem non promittere poſſe; ſcitur ſecundo, in aliis vteri rupti caſibus, ſatis diu ſuperuixiſſe mulieres, vt ſine auxilio deſperatae relinqui non debuerint. Vtique in obſeruationibus LAMOTTI, vna dies pluſquam tres, altera quatuor a rupto vtero vixit, HILDANVS aurificis vxorem totos vndecim dies parturientem fuiſſe affirmat, matronam Bernenſem ad minimum quatuor poſt ruptum vterum dies vixiſſe intelligimus, licet tamen nullam illi ferret opem aduocata HILDANI vxor, quod ſeptimum diem vt criticum exſpectaret mulier ſane medica.* Sic apud alios plus minuſue vtero perforatas vixiſſe legimus. Ex quibus omnibus id tantum volo multis in caſibus Chirurgiae locum eſſe poſſe.

## §. XXIX.

Ante vero quam eam in partu, quem ſeu ab initio, ſeu ad extrema aduocatus dirigit obſtetricans, Chirurgiam adhibeat, quum diuerſa ſit, an poſtea potius hanc quam illam admiſſurus ſit, ex

C 3 ratione

quod *per rupturam vteri inteſtina mulieris perſpicue tetigerit.* Id vero aliter fieri non potuit quam prius verſione educto foetu, et manu in vtero relicta, ex his abs dubio rationibus etiam D. SIMON in *Act. Chirurg.* Tom. 2 pag. 322. ſtatuiſſe ex HEISTERO, RVNGIVM infantem verſaſſe; totum vero id infringi aiunt ex ipſo indice, vbi ſub voce RVNGIVS legitur, RVNGIVS *Caeſaream ſectionem inſtituit pag. 728.* quae eadem eſt, qua verſatum fuiſſe infantem creditur.

ratione circumſtantiarum, cognoſcat. Itaque vt primum vteri rupturam, ex praecedentibus, concomitantibus et conſequentibus ſignis intellexit, proximum eſt, vt an totus foetus in abdomen allapſus ſit, aut an toto fere adhuc corpore vel ſaltem maxima ſui parte in vtero recludatur, probe perſpiciat. Scire enim oportet, non in omni caſu eandem eſſe ſitus rationem, quandoque enim bene ad partum naturalem ſitum manere (*p*), quandoque in iniquo illo quem ante habuit, aut parum mutato ſitu (*q*) iam ab illo prorſus receſſiſſe, aut in abdomen totum effuſum (*r*), aut adhuc aliqua parte in vtero haerentem (*s*) inueniri: neque tamen haec cognitio indifferens eſt, diuerſa enim et tutior his quam illis circumſtantiis curatio,

(*p*) Sic in obſeruatione 316 LAMOTTI, illa ALBINI, quam in *Diſſertatione de partu difficili* habet, in illa D. BVZAN, in eodem quo ante, ſitu manſit infans.

(*q*) Sic in obſeruatione ſecunda LAMOTTI, TVDECIS, HEISTERI, SCHOLZII, HILDANI de matrona Bernenſi infantes manu per orificium vteri propulſa quieuere. In obſeruatione STALPARTI Jonae de Pergo manſit infans in iniquo quem ante rupturam habuit, aut parum tantum mutato ſitu.

(*r*) In obſeruationibus SAVIARDI, HAASII, DOLDII, WIZELII, KNEBLOCKII; totus in abdomen irrupit foetus. Totum tenellum foetum cum notabili funiculi portione in abdomine haeſiſſe habet STALPARTVS. GUILLEMEAU bis vidit inter inteſtina in ſanguine foetum nataſſe. Abſolutiſſimum foetum in ſanguine materno fluctuaſſe FAVSSIVS, DIONIS, ſuis obſeruatis confirmant. Colo affixum, vt ſine forcipe ab eo auelli non poſſit, ROONHVYSIVS. SCHENCKII *obſ. lib. 4* foetus ad faciliorem partum ſitus totus in abdomen irrupit. SALMVTHII infans, brachium dextrum pridie exertum retraxit.

(*s*) Vt in obſeruatione HARDERI, de qua merito conqueri poteſt, quod maxime neceſſarias circumſtantias omiſerit, quas

tali,

tio: id vel maxime expetit, quae in hac valetudine procraſtinanda minime eſt, ne vires in integrum frangantur, neue ea, quibus operationem ferat mulier, praeſidia mora conſumantur.

§. XXX.

Totius vero, per vterum in abdomen matris, allapſi foetus ſigna fere haec ſunt:

(α) Si in vteri orificio haerens infantis pars, iam os vteri dimiſit, nec in illo amplius ſentiatur.

(β) Si orificium vteri, vt plerumque enixo partu accidere ſolet, magis conniuet; per muliebria ſincerus defluit ſanguis, aut iam congelatus decidit cruor; denique ſi vterus collapſus eſt.

§. XXXI.

Foetus vero in vtero maxima corporis parte aut ſaltem aliqua adhuc coerciti ſigna ſunt:

(α) Si in primo caſu ſeu naturalem ſeu praeternaturalem foetus ſitum habuerit, vix eum quem ante rupturam habuit, mutauit.

(β) Si eadem, quae ante orificio offerebatur infantis pars, adhuc ad illud haeret, ita vt quantum corpore ſubierit



talis obſeruatio abſolute poſtulaſſet, patet; idem confirmant foetus REISELII, SCHOLZII, vidit et HILDANVS, in aurificis vxore, totum in abdomine haerentem foetum, laeuo tantum brachio per vulnus in vterum pendulo.

erit abdomen matris infans, probabili tantum coniectura assequi liceat, ni intromissa in vterum integra manu, quis rem curiosius explorare velit.

(γ) In secundo vero casu pars oblata, seu caput, brachium, manus infantis fuerit, retrocessit et eadem, quae §. XXX, signa adsunt eaque omnia scrupulosior exploratio fere edocet.

§. XXXII.

Alterum illud tamen ignorari non potest, rarius quidem in situm praeternaturalem, frequentius in naturalem compositum, totum in abdomen efferri foetum. Ad haec non semper per vterum, sed et vtero relicto disrupta vagina, vt et dilacerato vteri orificio in abdomen ferri. Atque tunc alia et vix non certissima signa adsunt. Emanat enim fere continuo sanguis, funis vmbilicalis aut ipsa etiam placenta procidit, tactu intestina explorantur, et noua et insolita per muliebria in abdomen via hanc rupturae speciem liquido indicant.

§. XXXIII.

At at vt diuersum in vtero aut abdomine situm foetus, vterum diuersa etiam parte ruptum haec signa commonstrant, ni ea ipsa obseruauerit obstetricans, vix in certitudinem perduci potest, non enim hunc sensum obstetrix habet, vt cuncta extricet, aut ad notam sumat, interrogata vero affirmabit, et ne in negotio, quod non intelligit, peccasse videatur, plerumque adhuc magis mentitur.

titur. Hinc in auxilium aduocatus vix quidquam ex eius relatione concludere poteſt, ipſe vero obſtinatione tum matris tum adſtantium quandoque reiicitur, aut ſi etiam examinaturus admittitur, vel ob grauiſſima matrem prementia ſymptomata praepeditur, vel ob humilem et depreſſum trunci in lecto, nec facile ſine animi deliquiis, conuulſionibus mutandum ſitum, vix ad vteri orificium pertingere poteſt, vnde inexplorati negotii noua incertitudo oritur.

§. XXXIV.

In omni tamen caſu quantacunque perquiſitioni oriatur difficultas, in id vnum incumbendum eſſe repeto, vt ex ſignis modo recenſitis; an totus foetus in abdomen effuſus, an maxima adhuc corporis parte et qua in vtero incluſus haereat, cognoſcatur? quis ſit foetus in vtero ſitus? quo loco vterus ruptus, quae rupturae cauſa? ſine hac enim cognitione medicina prudenter nulla fieri poteſt, licet abſolutae explorationi non abſit; itaque tenendum eſt, toto in abdomen effuſo foetui, foetui corpore in ventrem illapſo, pendulis etiam in vterum artubus, foetui capite, vagina et vteri orificio perruptis, abdomen ingreſſo, ſolam ſectionem Caeſaream, inique vero in vtero ſito foetui, foetui vterum pedibus tantum perforanti, vt plurimum verſionem, vncum forcipem, mederi; nec ex eo, quod vterus in partu ruptus ſit, exſectionem, et quod pars foetus in vtero ſuperſit, verſionem indicari, vt ſatis male id ante SIMONIVM, quos ille nimium fideliter

 ſecutus

secutus docuerunt plures (*t*). Sed ex examine caussarum, circumstantiarum, hoc illudue, rectius determinari et ex arte eligi.

§. XXXV.

(*t*) HORNIVS et VOELTERVS in casu vteri rupti operationem Caesaream, licet tamen huius fautores non sint, necessariam argumentis euicerunt, MAVRICAEVS, PAVCVS, DIONISIVS, DEVENTERVS, quid in hoc casu agendum sit, quasi prudenter tacuere. Primus Clariss. HEISTERVS de casu recte meminit, operationem Caesaream in illis circumstantiis, in quibus totus in abdomen ingrederetur foetus, necessario esse instituendam Chirurg. Tom. 2, pag. 726, in illis vero, in quibus totus foetus non, sed solum aliqua pars in ventrem ingreditur, reliqua vero in vtero remanet, imo etiam pars aliqua, praesertim brachium ex vtero propendeat, capite vel pedibus per vterum ruptum in ventris cauo haerentibus, sectionem non esse necessariam pag. 727 statuit. Vltimo demum in *Act. Chirurg.* Tom. 2 Clariss. HEISTERI opinionem, ne descripsisse videatur, his verbis pag. 320 reddit SIMONIVS: *Il n'est pas douteux qu'on ne doive faire l'operation Cesarienne lorsque l'enfant a passé dans le ventre par la crevasse de la matrice:* et pag. 322. *Si donc le fœtus présente du côté de la matrice quelque partie propre à le tirer, on doit préférer cette voie à l'opération Césarienne, en supposant même que l'endroit de la matrice qui resserre le fœtus fasse quelque resistance; car par l'ouverture du ventre le danger d'augmenter le déchirement seroit toujours le même.* Quae eadem prorsus sunt, quae Clariss. HEISTERVS dixit, in eo vero vltra progressus est, quod etiam contracto et inuito vtero foetum eximi velit; HORNII, VOELTERI, sententiam, HEISTERVS, SIMONIVS, mecum refellunt, docuit etiam experientia LAMOTTVM, non in omni casu vteri rupti exsectionem requiri; vnde illa res extra dubium est. Verum tamen et in ipsis extractionis casibus, non possum HEISTERI, et SIMONII sententiae assentiri, dum volunt versionem suscipi posse, modo in vtero relicta pars est, qua infans verti possit; si enim is obtingeret casus, in quo praeuio capite abdomen intrasset infans, atque in hoc medio corpore haereret pedibus et natibus vtero reclusis, nemo est qui non intelligat ipsam abdominis sectionem, extractione foetus per vias na-

tu ale;

## §. XXXV.

Neque tamen in eo omnis medicina consistit et iam a periculo absoluta aegra est, quum adhuc scrupulosior illi medicatio fieri debeat, vt in salutem restituatur. Hactenus enim tantum, quomodo eae, quae, vulnus vtero fecere, causae, ex illo, aut ex loco, in quem penetrauere, eiiciendae sint,

turales longe tutiorem, magisque indicatam ex ipsis artis regulis, tum quod in hoc negotio totus fere foetus per vteri vulnus in abdomen transiit, sub integumentis haereat, quibus dissectis emergit, tum quod ipsa vteri contractione magis in abdomen impellatur foetus, vnde huic auxilio euidens facilitas illi difficultas imo impossibilitas, accedit; etenim quo magis contrahitur vterus, eo cauum magis minuit, per quod tota in abdomen effusi corporis moles retrahi debet, vnde non sine ingenti et noua vteri conquassatione, dilaceratione imo auulsione, extractio si quando possibilis, finiri potest. Quodsi vero etiam patulus, excusso sic in abdomen foetu, vterus foret, quod experienter sperari non potest, an in ipsa extractione non in se reduplicaretur vterus, reduplicatus peluim adimpleret et extractionem redderet impossibilem; neque tamen id totum est, quod ex vagis his praeceptis vtrique mortem adferre potest, si enim moles capitis infantis, quod in his casibus frequenter accidit, et transfuso in abdomen capite cognosci facile non potest, rupturae vteri causa fuit, quae non haec foret calamitas, si per pedes extraheretur infans; sic in obseruatione SAVIARDI, si in vaginam foetus pedes pependissent, et extractionem per viam naturalem moliri quis voluisset, non solum forti tractione a capite truncum soluisset, sed et ipsam matrem citius, dilaniato et contrito vtero occidisset, ex quibus omnibus euidenter patet, non exinde *quod pars foetus in abdomen irrupit, pars in vtero superfit, versionem indicari*; sed secundum circumstantiarum rationem videndum quid eligi debeat. Superest iam vt et meum interponam de illa SIMONII sententia, quae vltimo loco posita est, iudicium. Hanc quidem adeo parum obstetriciam deprehendo, vt ne Chirurgica dici mereatur, vnde semper dolui, inuida scientiis factione argumentum de operatione Caesarea LEVRETO ereptum, quid vero in casu simili factu opus sit vide §. 37 Not. (z).

ſint, ſeu nouo ex aduerſo, vt in operatione Caeſarea, inciſo vulnere (*u*), ſeu ex ipſo ſi opus fuit, ampliato, et per naturales vias excuſſo foetu, edocui; vulnus vero ipſum in parte maxima neruorum et vaſorum ſanguineorum quantitate irrigua, valde illiſum (*x*) hucuſque medicatione nondum tentaui,

(*u*) Galli Chirurgi aptiſſimo vocabulo *contre-ouverture* vocant, dum cauſam vulnerantem ex oppoſito loco per quem intrauit, eximunt.

(*x*) Recta definitione, recens ſoluta cohaeſio partis mollis vulnus dicitur, ſolutio vero continui mollis, cum contuſione, enchymoſi, vulnus illiſum. Habet igitur id vulnus compoſitum quaſſas et vexatas carnes et rupta in his vaſa, eoque plus minusue quo cauſa contundens maiori minoriue ſuperficie maiori minoriue impetu applicata parti fuit. Id indies experientia confirmat; verum contundi carnes, rumpi vaſa non poſſunt, quin harum debilitetur aut penitus deſtruatur elater, illorum ſuſpendatur aut ſuffocetur actio organica, hoc in facile ſuperabili illiſo vulnere, illud in deſperato obvenit; in primo expurgatum reſolutum dein vulnus, cum ſanis partibus breui in gratiam redit, in ſecundo vero neutiquam. Etenim in hoc contritae carnes lacerata vaſa iam vitalitatem fruſtra deſiderant ſuffuſa, quem amplius ſuperare non poſſunt, ſanguine verbo gangraena iam partem exeſt: alienatur enim color, et etiam poſt mortem nigreſcit contuſio, enchymoſis. Ex quibus omnibus euidenter patet, quod etiam excuſſa ex ipſo vulnere cauſa, difficilis curatio quandoque ſuperſit, ſed etiam ſimul ſolutum eſt, Clariſſ. HEISTERO incomprehenſibile phaenomenon, quod in *Act. Acad. Natur. Curioſ.* vol. I. obſ. CLXXVI, vbi *ſe vterum et praecipue locum illum, vbi diſruptus erat, circa oras rupturae nigricantem tenuem et quaſi putridum inveniſſe* dixiſſet, ſic pag. 399 ſub finem proponit, *quomodo vero vterus hic adeo corrumpi potuerit et putredine ſine ſphacelo quaſi, idque vnico tantum in loco corripi, reliqua vteri parte illaeſa, et quidem ſic vt mulier ſemper bene toto geſtationis tempore ſe habuerit, et ſimul foetus tam magnus et robuſtus, generari, in vtero tali morbido, ſicut ſaltem apparuerat, potuerit, res eſt quae, vt lubens fateor, meum ingenium ſuperat, quamque propterea doctioribus inueſtigandam relinquere, quam incertis coniecturis lectores defatigare malo.*

Re:

tentaui, qui praecipuus huius argumenti ſcopus eſt, quem nemo hactenus pro rei dignitate aſſecutus eſt.

§. XXXVI.

Res haec equidem mihi ſemper adeo clara fuit, vt licet ingenii viribus HEISTERVM ſuperare non intenderim, illum tamen et ſuos lectores verae phaenomeni explicationis conuincere velim. Et reuera an non facile intellectu eſt ex comparatione cauſae motae et figuratae cum parte laeſa, gangraenam in illiſo vulnere excitari debuiſſe; caput enim foetus, quum orbiculatum cauae vteri ſuperficiei applicaretur, illam multis in punctis tangere neceſſe habuit, vnde etiam diu in illam niti debuit vt diſrumperet, quum reſiſtentia ſemper ſit in ratione inuerſa punctorum contactuum et potentia motus; atque haec ratio eſt, quod data eadem potentia motus et vulnerando viſcere, inſtrumenta acuta citius, obtuſa tardius, rotunda tardiſſime ſolutionem continui moliantur; verum dum caput ſic in vterum niteretur et vterus in caput, vt ex maximis pariendi conatibus, *quos ab hora matutina quaſi decima ad vndecimam veſpertinam ſuſtinuerat*, liquido apparet, fieri non potuit, quin in parte fibrae magis tenderentur, puncta contactuum minuerentur, diſtracta vaſa dilacerarentur et continuante eadem cauſa, naſceretur vulnus, ruptis et contuſis labiis, ecchymoſis et in tota ante a capite vexata parte, ſugillatio. Quum vero in cadauere caput infantis ad oculos tantum, in abdomen per vterum penetraſſe inuenerit, Clariſſ. HEISTERVS, euidens eſt caput in diſrupta parte toto tempore haeſiſſe; vnde iterum fieri non potuit, quin aut in abdomen per vulnus, illiſum nitens caput continuo oras perfricaret, aut ſeſe contrahens vterus labia violentius ſupra caput contunderet, quibus rebus non concipio qui a gangraena pars ſeruari potuiſſet. Annon id indies violentae contuſiones docent? atque vt in noſtro exemplo maneam, annon ſaepe ab inclauato capite, vteri orificii gangraena? ipſius capitis ſphacelus, annon ab harum partium rudiori et frequentiori attrectatione necroſis? Quanto igitur magis in vteri ruptura. Ab inclauatione capitis vteri orificii gangraenam ipſe vidi; a rudiori attrectatione funis vmbilicalis tantum, ſugillationem, ecchymoſin in illo naſci, nuperrime obſeruaui; vteri poſticum latus a capite infantis in partu perruptum, totum nigrum gangraenoſum vidi Pariſiis in vtero, quem D. DEJEAN, LEVRETO miſit 1752. Locum

§. XXXVI.

Itaque vt primum vterus perruptus eſt, et ex diuerſo infantis in vtero aut abdomine ſitu, rupturae cauſa, variandum auxilium intelligitur, ſcire oportet, in ipſa foetus eiectione, adhuc maximas cautelas adhibendas eſſe. In harum gratiam curationem in eam, qua abdomine diſciſſo (y), et eam, qua illaeſo ventre per vterum foetus eximitur, diuidam.

§. XXXVII.

In prima quidem, in qua abdominis aperturam experiri ſtatutum eſt, quum ſaepe ante vterum, inteſtina, foetus, offerantur, ne violentur obſer-

cum rupturae quaſſum ſugillatum, verbo gangraenoſum vidi hic Viennae in caſu dein deſcribendo, neque id tamen vnquam mirabar, vtique et haec gangraena ſecundum cauſam eſt. Ne tamen mea ſolum Clariſſ. HEISTERVS ſtet experientia, quam etiam multis artis magiſtris familiarem noui, legat obſeruationem: *Ephraim* HERRMANNI de vteri ruptura *in primitiis phyſico-medicis ab iis qui in Polonia et extra eam medicinam faciunt*, vol. I, obſ. VI, pag. 88 haec verba: *Locus diſruptus quinque digitos tranſuerſos latus, in circumferentia erat nigricans et ad putredinem pronus.* Quod vero Clariſſ. HEISTERVM in errorem induxit, erat, quod capere non potuerit, tantam partium alienationem 13 horarum ſpatio natam: vnde eam iam a morbido tempore grauiditatis vtero deducere voluit; hinc *adeo magnum et robuſtum in hoc generatum foetum, mulierem tota grauiditatis tempore de nullo morbo vel ſingulari ſymptomate conqueſtam miratur*, et merito ſi iam haec grauiditatem labes tenuiſſet.

(y) Quo loco abdomen ſecari debeat, diuerſe multi ſentiunt, quidam lineam albam incidunt, quod peſſimum, alii muſculos rectos, nec arteriae epigaſtricae parcunt, quod non ſemper tutum; optime Clariſſ. HEISTERVS *Chirurg. Tom.* 2 pag. 718. LEVRETVS *Suite. Art. IX*, vbi etiam rationes de eligendo abdominis latere nobis communicat.

obſeruandum. Tum ſi in ventrem fuſus foetus eſt ſtatim eximendus; ſi vero in ipſa vteri ruptura adhuc haeret nec hunc vulnus dimittit, quod etiam accidere poteſt, non vi, nec moleſte ſedula tractione, qua lacerae iam carnes adhuc magis atteruntur et colliduntur, ſed ſcalpello, ampliato ea maxime parte vulnere, qua maior ecchymoſis, ſugillatio (z) eiiciendus. Sed et haec Chirurgia alias quaſdam animaduerſiones deſiderat; ſi enim noua ſectione vulnus ampliari debet, cauendum a ligamentis rotundis (*a*) eſt, quorum ſanguinea vaſa et ampla et diſtenta, ſi ab vtero ſoluerentur, non ſolum ſanguinem copioſum funderent, ſed et vterum ſuo pondere grauem profundius in pelvim demitterent, vnde infinita mala ſequi poſſent. Non minus ab vteri fundo, quod et huic vaſa maiora, et a placenta huic vt plurimum adhaerente, diametro aucta, cauendum eſt. Neque etiam niſi ſummo cum periculo laeduntur in anteriori parte veſica, in poſteriori rectum (*b*), et in omni non

(z) Hoc duplici bono fit, tum vt ſana pars nouo vulnere non laedatur, tum vt contuſa facilius extenuetur et quieſcens et ſtagnans ex ea ſanguis euocetur; ex his paene rationibus eſt, quod hanc Chirurgiam, illa quam *Acad. Reg. Chirurg.* Tom. 2 pag. 322 proponit, magis rationalem habeam, minuſque periculoſam et barbaram circumſtantiarum conſimilium parilitate. Hinc etiam facile intelligitur, quid his rebus, vbi ex anguſtiori vteri vulnere in operatione Caeſarea, extus dari foetus non poteſt, conducibilius haberi debeat, num modeſta vulneris, tractione, dilaceratio, num ſcalpello ampliatum vulnus.

(*a*) Quae ex ſumma, eaque anteriori facie vteri emergunt et abdomine lateraliter aperto, facile vulnerari poſſunt.

(*b*) Vnde etiam haec receptacula ante operationem Caeſaream ſemper deplenda eſſe conſuluere maximi in arte viri.

non ſatis coercita inteſtina, quod iam contracto vtero facilius fieri poteſt, maxime ſi minus perite ſcalpellum ducatur.

§. XXXVIII.

In vtroque vero caſu, ſeu in abdomine ſeu medius adhuc in vtero quieuerit foetus, vbi cum ſecundinis extus datus eſt, ne qui in ventrem ſanguis aut alius humor confluxit, ibi maneat ſedulo proſpiciendum. Hunc vt notum ſpongia vulnerario decocto aut vino rubro tepida ex facili bibit. Atque in hac re omnes ſatis conueniunt. De cura vero vulneri ante Gaſtroraphiam danda non ita; in vteri enim ſimplici vulnere, vti in operatione Caeſarea deliberate inſtituta, extracto cum ſecundinis foetu et ſordibus expurgatis hodierni Galliae Chirurgi vteri vulnus naturae committunt, abdomen vero breui ex arte conſuunt, quod Clariſſ. HEISTERVS miratur (*c*), qui nimiae haemorrhagiae linamentis ſpiritu vini rectificatiſſimo ebriis, vulneris vero curationi balſamo Copaiue, alioue ſimili, obuenit (*d*). ROVSSETVS iam decocto vulnerario ablui vulnus (*e*); abluto ſimili decocto vulneri balſamum calidum, quod aequales balſami Arcaei et olei Hyperici portiones recipit, infundi vult

(*c*) *Tom.* 2 *Chirurg.* pag. 719 ad (not. c): *Moderni Galliae Chirurgi licet praeſtantiſſimam hanc operationem ſaepius ac feliciter ab ipſis perfectam referant in Mem. Acad. Chirurg. pag.* 640 *et ſeqq. tamen haemorrhagiam quibus artificiis hic compeſcuerint, quaſi rem nullius momenti ſicco pede praetereunt;* at forte non tantam experti ſunt, magnam eſſe integro capite negat ROVSSETVS. An non et ipſa vteri contractio haemorrhagiam praeuertit?

(*d*) Ibidem in textu.

(*e*) Pag. 222.

vult RVLEAV (*f*). Et hae ſunt diuerſae in ſimplici vteri vulnere curationum methodi; de compoſito nihil ſtatutum eſt.

## §. XXXIX.

Poſtulat autem cum ſugillatione et ecchymoſi illiſum vulnus, quale ruptum vterum ſemper tenet, aliam louge medicationem, eamque ſecundum contuſionis intenſitatem et tempus et inde emergentia ſymptomata variatam; ſi enim ſtatim vbi vterus rumpitur, abdomen aperitur, et contuſio adhuc cruda, nondum coacta eſt, reſolutio ſperari poteſt, vexatis, ſolutione ſalis ammoniaci vel marini in aqua cum ſpiritu vini remixta, calide ablutis fotis. Alienum in hoc negotio ſcalpellum eſt, et ad haemorrhagiam praepoſtera adſtringentia. Si vero iam aetatem vulnus habet, et contuſio coiit, ſcalpelli operam, profunda ecchymoſis fere deſiderat, vt quieſcens euocetur ſanguis. Hic tamen non niſi magna cum prudentia concidi debet, quia plerumque id vulnus cum ſtupore eſt, quo in caſu alta, mortifera inciſio eſt, vt omnibus egregiis practicis notum; ſuperficiaria vero, quae ob partis ſtrangulationem quandoque fieri debet, effuſo ſanguine, vt et ipſum primitiuum vulnus, ſpiritu ſuccini, in quem aliquid olei terebinthinae datum eſt, aut etiam alio medicamento actuoſo penetranti, quae primaria in hac valetudine intentio eſt, foueri debent.

(*f*) Pag. 78.

§. XL.

Quodsi vero iam gangraena vulnus habet, quod in violenter collisa et stupefacta carne breui obvenit, etiam vtero parcendum non est, nam vt omnibus notum, vtut, ad vitam necessaria pars corporis est, eo quo computruit momento ad illam amplius non facit, quin contra hanc ipsam nisi tollatur, destruit; itaque in exsectione putridi, gangraenosi opera locari debet, est tamen prudentiae consilium, non exacte et curiose ad viuum omne tollere, quia discisso vitali vase lethalis haemorrhagia fieri posset; dum quod remanet corrupti spiritibus acidis vel solis, vel spiritu vini dulcificatis, prout plus minusue relictum est, facile aduri potest. Scire autem adhuc oportet, hanc Chirurgiam maxima cautela esse instituendam, quod vulnus in cauum vteri penetret: adustis digerentia superhaberi debent.

§. XLI.

In secunda vero curatione, vbi abdomen aperire, necesse non fuit, sed versione aut instrumentis foetus extrahendus venit, de vulneris illisi natura nihil, nisi per coniecturam sciri potest; hinc et medicinam difficilius recipit; atque in hac re exsectio, naturali extractioni praeualet. Id tamen in ipsa extractione per naturales vias cauendum est, ne vterus magis dilaceretur contundaturue; exemto vero cum secundinis foetu, vterus a sanguine purgari debet, hunc facile immissa manus euerrit, in ventrem autem effusum

minus

minus euocare valet, vnde in id dein operam dare debet obstetricans, vt in latus quo vterus perruptus est, aegra inclinetur, quo is facilius exitum (*g*) dein inueniat. Quodsi vero hoc tempore, intestina, omentum per vteri rupturam prolabantur, quod etiam accidit, refundi debent nec ex vtero manus danda est, quam illa non amplius euoluantur; ad quod et in alium situm vterus, si e re absolute est, subleuatus, aut spontanea vteri contractio non parum contribuunt. Abdomini fomenta penetrantia et resoluentia saepe imponi debent.

## §. XLII.

Seu vero in abdomen, effusus sanguis, si sit, hianti vulneri non occurrat, seu constrictum vulnus, quo minus extus feratur, impediat; scire oportet sine discrimine in ventre relinqui non posse (*h*): in primo casu lotionem in vterum, quae et in abdomen efferatur, sine periculo coniici (*i*): in vtroque nouo abdomini inciso vul-

 nere

(*g*) Nunquam satis laudavero immortales obseruationes PETITI, filii, et GARENGEOTTI in *Mem. Acad. Chirurg.* quibus conuincunt fauente anatome, liquidum quodcunque seu per rupturam, seu per vulnus extrauasatum in abdomine, ad anteriorem inferioremque ventris partem agi, cogi, inter intestina nihil recipi, Mechanismo illis primum et feliciter explicato, vide *Essais sur les epanchemens. Mem. de l'Acad. Tom. 1, pag. 237. Suite. Tom. 2, pag. 92. Sur le même sujet par Mr.* GARENGEOT *pag. 115.*

(*h*) Vt in eisdem Actis confirmant euidenter obseruationes modo laudatorum virorum.

(*i*) Tum vt concretus in illo sanguis diluatur, et dein facilius per vteri rupturam efferatur, tum quia in abdomen data lotio resorberi potest, vt docuere experimenta anatomica,

nere effusa feliciter euocari (*k*): atque hoc vnicum in arte auxilium est, si mulierem seruare intentio; quae vero abdominis incidenda sedes? Quibus signis sanguinis in abdomen cognoscatur extrauasatio, ita exacte in modo laudatis Actis ab his immortalibus viris descriptum est, vt addi nihil possit.

§. XLIII.

Alterum vero illud in vtraque curatione ignorari non oportet, vulnera vteri grauiditate aucti, fere ad haemorrhagiam et inflammationem spectare, ex hac facilem esse transitum in resolutionem virium, ex resolutione virium in animi deliquia, sudores frigidos, conuulsiones, mortem. Ex illa foedam oriri suppurationem, ex suppuratione male habita vlcus, ex vlcere fistulam, aut quod longe frequentius in sugillatis quasi et collisis contusis vteri carnibus obuenit, gangraenam, aut scirrhum aut cancrum: sed quia de his iam apud Medicos et Chirurgos relatum est, nihil adiiciam.

ca, tum quia, licet non resorberetur, facile effluere posset cum sanguine, in cuius gratiam nouum vulnus fieri debet.

(*k*) Vt id euidenter conuincit obseruatio D. VACHER *Hist. de l'Acad. de Chirurg.* Tom. 2, pag. LXXXVIII.



HISTO-



# HISTORIA
## VTERI IN PARTV DISRVPTI, ET INVENTI IN ABDOMINE FOETVS.

Vigeſima Auguſti 1755 vocor Viennae in ſuburbium Diui LEOPOLDI, in plateam venatoriam dictam, ad mulierem, iam extrema agentem, vt ipſa referebat nuncia; ad interrogata vero ſic reſpondit, triginta ſeptem circiter annorum mulierem iam ſecundo vtero gerere, primum partum infantis praecraſſi, foetentis, diebus tribus cum totidem noctibus durantem, fuiſſe vel maxime crudelem, hunc quidem hanc aetatem, quum octaua et decima Auguſti, circa nonam veſpertinam primis tantum incideret doloribus, nondum conſecutum, nec vnquam conſecuturum ſperari poſſe. Mulierem enim aliter, quam in priori confectam, agere, angi, agitari, ſingultire; aquas vix primis doloribus obortis, ruptas dolores fuiſſe tergiuerſantes, iam fortes, iam debiles et fractos; obſtetricem, quid in vteri orificio offeratur, hucuſque non expoſuiſſe, abdomen quidem ſed ſine fructu preſſiſſe, praeſcripſiſſe medicum; mulierem vero iam frigidis artubus, ventre inflato exanimari.

Adueniens cum D. LEBMACHER M. D. mulierem ab vltima vita circa abdomen adhuc calentem inuenimus; a dimidia enim tantum hora desiderabatur. Itaque instituta operatione Caesarea totum in abdomen allapsum foetum, ita situm deprehendimus, vt vertice in os pubis, facie in dextram matris spectaret, aure sinistra et humero sinistro, tanquam puluinari, vtero incumbentibus; inde dorsum infantis sinistrae matris parti imminebat, premebant lumborum vertebras matris infantis nates; femora et pedes infantis ad suum abdomen reducta et reduplicata in cauitate ossis ilei dextri iacebant, iuxta haec et abdomen, brachia manus, et funis vmbilicalis residua portio.

Educto foetu succubus conspiciebatur vterus, vt enixo foetu esse solet, solidus, crassus, ruber, in anteriori vero, quae vesicam vrinariam et pubem spectat, facie, perfecte in articulo cum peritonaeo perforatus, et ad pugni tantum magnitudinem hians, ita vt, si contractilis vteri potentia, nota non esset, qui tanta capitis et corporis moles per adeo exiguum foramen traiici potuerit, concipere non posses. Erat quidem anterioris labii caro satis conspicua et crassa per totam longitudinem vsque in os disrupta, et a succingente ibi loci peritonaeo diuulsa, sed inde rupturae longitudo, non viae laxitas patebat; etenim peritonaeum eadem tota longitudine integrum erat, imo solito crassius lineam cum dimidia facile superabat. Caeterum erat in ipso ostio rupturae caro

caro quaſſa, ex contuſione foeda, nigra, partus in ventrem ſiccus, crudelis magis quam cruentus, non enim tali copia effluxerat ex ruptis vaſis ſanguis, vt inteſtina imbueret, aut inter haec aut in alio loco, in grumum coiret.

Infantem quod concernit, erat hic praecraſſus, ingenti capitis vaſtitate, ponderauit libras civiles 23; oſſeae cranii thecae integumenta, circum circa in hemiſphaerium nigra, gangraenoſa, oſſa cranii compreſſa, fracta quaſi; auris dextrae membrana tympani, extus in ſphaeram pulſa, et conſpicua; ſecedebat ad attactum cutis a toto corpore, ſcroto, vt plerumque eſſe ſolet, gangraena conſpurcato.

Inſtituto dein examine et per plures dies a D. LEBMACHER, quem de hac re rogaueram, continuato, ſciuimus grauiditatem, cum pertinaci et doloroſa, in dextro hypochondrio, grauitate increuiſſe; partus dolores hora nona, decima et octaua Auguſti obortos, per totam noctem vt et plurimam diei ſubſequentis partem, variata intenſitate, nam et duo tresue fortiores a tribus quatuorue debilibus excipiebantur, continuaſſe; aquas primis ſtatim doloribus effuſas per totam adhuc noctem ſtillaſſe, profuſiores tamen, circa quartam matutinam lectum inundaſſe. Atque id ab omnibus confirmatum eſt. Obſtetrix vero, quam ignorantiae pudore mentiri non pigebat in primo examine D. LEBMACHER, ſeorſim confeſſa eſt, ſe prolapſum ſtatim ab initio funem vmbilicalem, oblique ſitum infantis caput diſtinxiſſe, prima

etiam iam nocte materiem foetidiſſimam ex genitalibus defluxiſſe, nec toto tempore ceſſaſſe, matrem infantis motum nunquam ſenſiſſe. Altera die quae iam nona et decima Auguſti erat, hora ſecunda in ſellam vt vocant parturientium depoſitam mulierem vehementes dolores habuiſſe; in his, vt iuuarent enitentem, ab hypochondrio dextro vt et a ventriculo, fortiter deorſum abdomen premi iuſſiſſe obſtetricem, idque toties repetitum, quoties dolor ingrueret, et continuatum tamdiu donec ceſſaret; his encheireſibus partus promoueri negotium dixiſſe obſtetricem; inter premendum vero, atque haec propria obſtetricis confeſſio eſt, intolerabilem eumque vrentem in parte anteriori, pubis nempe, vbi et ingens tumor, durus, tactu aduertebatur, ſemel ſenſiſſe nitentem, tum vbi prius durus tumor erat, vacuum natum eſſe, et dolores omnes ceſſaſſe. Dein in lecto collocatam in vtrumque latus, quod ante ob vehementiam cruciatus non licuit, cubare potuiſſe; ſed iacuiſſe inſenſilem. Vena pedis ob metum gangraenae, ſecta multum materiae atroviridescentis vomuiſſe; hora quinta iterum in ſellam parturientium depoſitam nullos partus dolores habuiſſe, ſed ex genitalibus cruentas membranas exiſſe ſine puro ſanguine, in dextro latere iterum implacabilem ſenſiſſe ardorem, ſucceſſiſſe ad veſperam ſingultum, qui fere continuo ad finem illius diei ciuilis duraret; remiſiſſe hora duodecima noctis, hora quarta matutina vigeſimae Auguſti rediiſſe, continuaſſe; hora nona poſt datum et redditum enema, prorupiſſe ex genitalibus,

pendu-

pendulam ex funiculo vmbilicali placentam, non ligato funiculo forfice abſcidiſſe obſtetricem, tandem tanta calamitate miſerandam mulierem ſingultu, conuulſionibus confectam expiraſſe.

Reliquum iam eſt, vt quaedam in hunc caſum commentaria, quaſdam, in malas encheireſes, animaduerſiones ponamus, vt noſtris partibus in integrum ſatisfaciamus, atque primo loco habetur,

1. *Grauiditatem cum pertinaci et doloroſa in dextro hypochondrio grauitate increuiſſe.*

Dum anteceptas DEVENTERI opiniones exuentes egregii viri, liquida mente naturam peterent, frequenterque non ſolum in omni vterini corporis puncto placentam radicari, ſed ex hac hic vel ibi loci radicata diuerſa emergere phaenomena et partus variari ſucceſſum perſpicerent, obliquitatem ſeu vteri, ſeu foetus, ab illa vel maxime cauſa dependere ſatis fundate ſtatuere: verum quia tum vteri tum foetus obliquitas ſemper maiorem minoremue partui adferebat difficultatem, obſeruauere, an non iam in grauiditate, ea cognoſci poſſet, atque tum conſtitit frequenti obſeruatione grauiditatem, quae placentam vteri lateraliter adhaerentem habet, moleſto in parte pondere angi. Inter primos in diſſertatione STVARTI ſe ita explicat egregius vir FRIEDIVS: *grauida in illo latere, quo placenta haeret, abdomen plus eleuatum extenſumque, repletum et ponderoſum habet, prae altero, quod magis depreſſum, vacuum atque molle.* Praeternaturalem hanc placentae ad

latus adhaeſionem, ex abdominis inaequalitate, duritie, altitudine, doloroſa grauitate in illo latere, in quo maxime foetus mouetur, cognoſci dicit Clar. BOEHMERVS. Alia eaque grauiſſima his adiecit ſigna Max. LEVRETVS, quae et cum illo ſaepius, ſaepius ſeorſim obſeruaui. Sed quaenam ratio eſt, cur non aequatis ſiniſtro lateri vteri, vt dextro vicibus, adhaerere placentam, obſeruetur? Quoniam igitur et noſtrae mulieri creſcente grauiditate pondus, doloroſa grauitas vni ſedi infixa, in latere nempe dextro increſceret, difficile appropinquante partu negotium metui ex arte poterat, vt id ſequentia liquido confirmant: etenim

2. *Partus dolores per totam noctem vt et plurimam diei ſubſequentis partem variata intenſitate (nam et duo, tresue, fortiores a tribus quatuorue debilibus excipiebantur) continuabant.*

*Partus* primum grauiditatis ſtadium a momento conceptionis incipiens ad finem tertii exſpirat menſis: medium a quarto ortum menſe ad ſeptimum finitur; et vltimum a ſeptimo ad nonum plerumque, aliquando vltra extenditur. Quae ad finem primi ſtadii et toto medio fiunt viuentium corporum ex vtero motiones, abortus, quae ad initium et medium terminum vltimi, praematuros vocamus partus, ſic ad initium primi ſtadii dicimus effluxionem aut conſiſtentis iam aliqua aetate germinis, eiectionem vt ad finem vltimi grauiditatis ſtadii legitimum et maturum partum.

*Dolores,*

*Dolores*, vt recte intelligatur, quid partus dolor obſtetricantibus proprie habeatur, praeter demonſtrationes anatomicas de muſculari vteri potentia, adhuc praeſciendum eſt, ita conſtructum vterum eſſe, vt vteri fundus vaſtaque ad eum regio, tum vteri orificium et quod ſuper hoc ponitur collum contraria in ſe virtute antagoniſtarum perfecte more nitantur; eſt quidem hoc LEVRETO omnium primo cognitum et demonſtratum, hodie vero a cunctis aliis aſſumtum et obſeruatum.

Iam vero a primo partus ortu, qui a qua demum cauſa determinetur, in vanum hucuſque ſe torſerunt philoſophi, vteri fundus vt et vaſti ad eum parietes mutuis copiis, ad ſe nituntur ſeſe contrahentes *ex obſ. obſtetr.* At ſeſe contrahens muſculus tumet, craſſeſcit, dureſcit, accurtatus mole ſua augetur *ex obſ. anatom.* Igitur in id quod vterus ambit, cauum nititur. Iterum fundus et latera vteri contrahi et in cauum niti non poſſunt, (ſummam reſiſtentiarum longe ſuperante potentia) quin ſuam ante late ſeptam capacitatem minuant *ex obſ. phyſ. et anat.* Sed caui ſphaeroidei aqua et foetu repleti, quale cauum vteri eſt, in vno loco minui non poteſt, quin in alium minus reſiſtentem aqua impellatur *ex iiſdem.* Quum vero hemiſphaerio ſuperiori vteri e directo opponatur orificium vteri, quod minorem reſiſtentiam habet, quia apertura disiunctum eſt *ex anat.*, ex aquarum, capacitate fundi et laterum minuta, expulſarum et in partem minus reſiſtentem impulſarum impetu, vteri orificium ſenſim vinci,

diſtrahi

diſtrahi neceſſe eſt, atque haec verorum partus dolorum ratio eſt. Igitur id, quod vulgus partus dolorem appellat, proprie nihil eſt, quam fundi et laterum vteri contenti expulſionem et orificii vteri violentam dilatationem, molientes, contractiones. Atque ex hac ſola et clara verorum dolorum idea, quae certiſſima partus ſigna haberi debeant, quae non poſſint, liquido intelligitur, nec minus comperta et perſpicua euadunt plurima phaenomena, quae alias ſatis nodoſa inexplicata manſiſſent, vt ſunt, quare vteri orificium primis doloribus renitatur, renitens arctetur magis quam dilatetur, ſemel victum vero ſemper magis amplietur et dehiſcat; quare violenter ſeſe contrahente vteri orificio vterus infletur magis ad ſuperiora, et repulſionis vis in fundum magis impendatur. Quae vero ratio ſit alternae vteri contractionis, vt et alternae quietis, neque ex his, neque ex aliis adhuc eruere potuerunt philoſophi, quidquid ſomniet D. BVFFON derepente et quaſi ex ſomno humani corporis philoſophus (*).

Quotuplices vero partus dolores ſint, omnibus obſtetricantibus relatum eſt. Noſtrae mulieri dolores erant tergiuerſantes, iam fortes, iam debiles, quos omnibus illis caſibus, quibus radicata vteri lateri placenta eſt, adfuturos iam ex obſeruatis praedixerat LEVRETVS, atque is etiam effectus ex ſua cauſa liquidius intelligitur, quod in dato caſu aut foetus, aut vterus, aut vterque ſimul obliquatur, quibus rebus orificio vteri directe haud inſiſtens

(*) Hiſt. naturelle du cabinet du Roy,

infiſtens infantis caput, partus dolores nec conſtantes, nec vtiles mouere poteſt.

3. *Aquas primis ſtatim doloribus effuſas per totam adhuc noctem ſtillaſſe* etc.

Hoc iterum phaenomenon placentae lateraliter radicatae ſignum eſt; commonſtrat enim euidenter ex ablato ex adhaeſione placentae vteri aequilibrio in obliquum compulſum infantem fuiſſe.

Ex ſpumantis libidinis gutta diuino emergens artificio homo aquis innatat, membranis, coercitis, quarum quantitas in ratione inuerſa aetatis foetus conſtanter maior, ad legitimum tamen partum ſaepe in multis variat. Sunt hae proprie aquae foetus, (nam de ſpuriis hic nihil ſtatuam) quae ante partum plerumque, in partu et poſt partum aliquando, effunduntur. Ex modo vero vt et quantitate his temporibus effuſarum aquarum, partus criteria non adeo inepta deſumuntur, vt id naturam obſeruanti patet. Etenim in partu naturali placenta vteri fundo radicata, orificium fundo directe ſubiacet ad axin peluis, tum foetus vtero incluſus haeret in axi vteri et caput praeuium imminet axi peluis, his rebus doloribus continuis caput infantis depellitur, ſenſim magis orificio vteri impellitur. Stat id obſeruato. Sed caput infantis ſphaeroideum eſt et corpus ſphaeroideum ex cauo ſphaeroideo flexili emergens hoc in omni puncto tangit, vnde ante caput pulſas aquas in ſphaeram, vteri orificium in circulum cogi neceſſe eſt, et illa adeo nota obſtetricibus felicis futuri partus ſpes illucere. Tum ruptis

ruptis membranis, ſi caput vndique oſtium vteri obturat, ea tantum aquae effunditur copia, quae ante caput et oſtium intercepta fuit, quodſi adhuc maior poſt foetum in vtero eſt, tardioris negotii, licet leui encheireſi tollendum obſtaculum intelligis, quodſi vero caput vteri oſtium non obturat, non ſolum ea, quae ante caput haeſit, copia effluit, ſed etiam poſt foetum reſidua, quod vtrimque naturalem ſemper partum efficit.

At vero in caſu dato obliquitatis vteri, vbi placenta vteri non ex fundo ſed ex latere pendet, vt et aliis ſimilibus iniqui infantis ſitus, orificium vteri ab axi peluis deuium eſt, igitur etiamſi bonis rebus foetus haereret in axi vteri vt in partu naturali, quum axis vteri non incidat in axim peluis, per quam emerſurus infans eſt, in marginem oſſeum aperturae ſuperioris peluis dirigi impingique infantis caput, tum magis illud orificii vteri latus, ad quod motum, premere neceſſe eſt, quibus cauſis tum fit, vt membranis ruptis aquae vno impetu vel omnes effundantur, quum nihil obturet, vel etiam continuo deplutvio ſtillent, quod vtrumque mali negotii ſemper indicium eſt, vt id in noſtra muliere confirmatum videmus, etenim illi primis initiis aquae ex leui cauſa fluxerant totoque tempore ſtillabant, infans ſimul oblique ſituabatur prolabente fune vmbilicali: an vero etiam materies foetidiſſima prima ſtatim nocte ex genitalibus mulieri defluxerit, nec toto tempore ceſſarit? an mater ſimul infantis motum non ſenſerit, a veritate

magis,

magis, quam calamitatis acerbitate, quam vt ſe purgaret obſtetrix, omnibus inculcare nitebatur, abeſſe credo; ego equidem ſic aeſtumo. Nec mortuo foetu vterum vnquam rumpi aut vidi aut legi.

4. *Altera die in ſellam parturientium depoſitam mulierem vehementes dolores habuiſſe: in his vt iuuarent enitentem, ab hypochondrio dextro vt et a ventriculo fortiter deorſum abdomen premi iuſſiſſe obſtetricem, idque toties repetitum, quoties dolor ingrueret, et continuatum tamdiu donec ceſſaret: . . . inter premendum vero intolerabilem eumque vrentem in parte anteriori, pubis nempe, vbi et ingens tumor durus tactu percipiebatur, ſemel ſenſiſſe nitentem, tum vbi prius durus tumor erat, vacuum natum eſſe, et dolores omnes ceſſaſſe, iacuiſſe inſenſilem.*

Quid ſella obſtetricia ſit, figuris et verbis apud multos relatum eſt. Quibus in caſibus ſella lecto, aut lectus ſellae anteponi debeat, ab iisdem etiam ſcriptum. Hic tantum de illo acturus ſum, quo nitenti obſtetrix ſubuenit, auxilio. Hoc equidem non ſpernendum illarum encheireſium ſpecimen videtur, quae in ipſo artis limine, dum ars inter ſolas mulieres ſtaret, adhibitae ſunt et adhuc in dies per traducem vt arcanae a vetulis iunioribus communicantur. Vidi ſaepius, atque hoc hic loci familiare eſt, in nitentis ventrem capite irrupiſſe obſtetrices totam abdominis formam deſtructuras, alias duabus manibus abdomen vehementiſſime preſſiſſe, nec illud nouum

nouum eſt orbe ligneo aut ſtanneo tum pro eiectione foetus, tum pro expreſſione placentae totum ventrem ab illis premi, quati.

Verum quantumcunque etiam hodie in has encheireſes artis Magiſtri animaduertant et ſtirpitus exigere errorem nitantur, quod et optimi Medici et Anatomici obſtetrices in errore confirment, nihil conſequuntur; et ſane, an non mirandum et dolendum ſimul eſt recentioribus temporibus, iam adulta arte in *Act. Nat. Curioſ. vol.* IX, *obſ.* LXXVII, pag. 323. Clariſſ. gloriari DEGORTERVM, ſe abdomen parturientibus felici cum ſucceſſu ſaepius preſſiſſe, id edocuiſſe omnes obſtetrices his in circumſtantiis: *Quando foetus extenſis pedibus exitum molitur, ſi vteri os nimis contractum manet, ingens tumor abdominis cum multo dolore non raro obſeruatur, qui parturientibus magnum dolorem infert ſine parturiendi ſpe. Fruſtra enim conatur foetus viuens extenſis pedibus moliri excluſionem, quoniam abdomen cedens omnem adimet vim preſſionis ad vteri os, dum demto ſuſtentaculo ad pedes foetus, omnis ille conatus ad vteri os illuditur: ſi vero illa abdominis pars, quam detrudit foetus exitum moliens, fuiſſet ſuffulta et cedere non potuiſſet, omnis actio foetus in vteri os applicata, ſuperaſſet eius orificii contractionem et excluderetur foetus.*

Primum quidem quod in hanc opinionem ex arte ſtatuendum cenſeo, illud eſt, quod hae circumſtantiae, vbi extenſis pedibus exitum molitur infans, rarius adſint, etſi adſunt, nec ab illo, nec

ab

ab his, quas docuit, obſtetricibus facile cognoſcantur, tum quod contractum nimis vteri os vt et ingens, cum multo dolore ſine maiori partus ſpe, abdominis tumor, (quae duo characteriſtica huius caſus ſigna obtrudit) has non certo exprimant deſcribantque. Quodſi id ita eſt, an ignotae per ſigna foetus extenſioni preſſio rationalis?

Secundum eſt vteri ſeſe contrahentis mechaniſmum viro non fuiſſe perſpectum, ſupponit enim foetu extenſis pedibus exitum moliente abdomen cedere, et inde omnem vim preſſionis ad vteri os demi, contra ſuffulta et depreſſa parte omnem impetum in vteri os impendi, quod nec arti, nec veritati congruit: Sic vero pergit: *Hoc felici cum effectu monitu meo in parturientibus obſeruaui applicata manu ſupra intumeſcentem abdominis partem, qua impediebatur illa extenſio in parturiendi conatu: ſentiebant enim parturientes ſtatim ſolamen doloris, et foetus facile excludebatur, in quo caſu verebar vteri ruptionem a vehementi foetus robuſtioris extenſione.* Irrationalem hunc proceſſum, quem felix forte fortuna excepit effectus neminem in arte eſſe credo, qui non miretur, experientiam quidem ſonat, ſed an non multo agreſtioribus, vt dein notabo, et ſua fortuna fuit; etenim ſic aeſtumo, ſi aliquo in caſu vterum ad rupturam perducere aliquis intendiſſet, nulla alia arte, quam hac, id facilius fuiſſe conſecutum, dum partem percutiendam et rupturam quaſi effugientem propius in ſphaeram actiuitatis corporis percutientis adigeret, quia certis conſtat obſeruatis ex infantis conuulſione vterum plerumque rumpi.

E Praeter-

Praeterea an pressio membra foetus moderabitur? an motus sufflaminabit? certe non, vnde caeco et inuita natura impetu fugiens percussionem vterus ad infantem his rebus repellitur, quia sic facilius rumpitur. Aliud est aliis rerum circumstantiis, et vbi rumpendi vteri nullus metus; neque tunc tamen impedita in parturiendi conatu vteri extensio semper tuta, tum quia et vterus distentis vasis turgidus, spongiosus, facile contundi, vexari potest, tum quia sic facile ex vteri axi foetus, vterus ex axi peluis detruditur, quo in casu impertinens partus negotium priore longe peius emergere posse, illi facile intelligunt, qui et in vteri grauidi positum animum flectunt, et in partu cum natura loquuntur. Vtique obstetricantibus notum est ex situ matri dato, quia et hic foetus, vteri peluis axes mutare valet, partum tum accelerari tum retardari posse; et bonae DE GORTERI obstetrices cruda nec dimensa pressionis directione, quod ipsa natura nequit, foetum adeo feliciter depellunt, exprimunt. Verum quidem est Clariss. DE GORTERVM pressionis summam non expendere et sustentaculi aut manus extensionem abdominis impedientis nomine vti, et hinc aliquem coniicere posse non consulere validam pressionem: at is sibi fucum facit; si enim effectum illud sustentaculum aut quocunque demum nomine illud vocare lubet, non consequitur, praeceptum non exegit, ergo debent manus aut aliae machinae ita applicari, vt natam ex parturiendi conatu abdominis extensionem impediant, vt ipsemet contendit, quod non leui sustentaculo,

sed

ſed verá et magna appreſſione obtineri poſſe, omnes facile capiunt, qui in partus dolore totum abdomen et vterum inſtar lapidis rigere, et ad hanc extenſionem impediendam potentiam conſiderarint; quantum tamen in hoc conſilio cautior fuerit Clariſſ. DE GORTERVS, eo euidentius imprudentior fuit TH. BARTHOLINVS in obſeruatione *De foetus mortui expulſione violenta*, in qua et BARTHOLINVS BARTHOLINVM et Philoſophus Philoſophum et Medicus Medicum exuit, vt ſupra quod credi poſſit agreſtem et irrationalem rudiſſimi ingenii proceſſum extolleret laudaretue. His verbis vero raram hanc encheireſin *Hiſt. Anat. et Med. rar.* hiſt. 83, cent. 6 adumbrat.

FOETVS MORTVI EXPVLSIO VIOLENTA. *Varia in foetu mortuo expellendo moliuntur Medici et Chirurgi tam veteres, quam nouitii et internis et externis: inſtrumentorum operam aduocant* PAVLVS, CELSVS, ALBVCASIS, AQVAPENDENS, SCVLTETVS; *ſed ſi auerſas puerperarum voluntates inuenerint, fruſtra erunt. Vbi igitur interna nihil proficiunt et inſtrumenta refugiunt puerperae caeteraque conclamata, vt mater conſeruetur, vna compreſſio vehemens abdominis per adſtantes auxilio erit; noui in Gallia puerperas, quae feliciter etiam viuos foetus enituntur compreſſione externa manuum propriarum, qua blande ad exitum propellunt embryonem, et ita ſine aliarum mulierum auxilio breui ipſae negotium ſuſceptum conficiunt. Foetu vero mortuo praeſertim in partu ipſo haerente, quum propter*

*angustiam viarum, matrisque imbecillitatem ex angustiis eluctari non possit. Ne sine spe misera puerpera relinquatur, impositus orbis ligneus vel stanneus super vmbilicum fortissime manu Medici vel adstantium, percutiatur. Vt remedii nouitas sit conspectior, exemplo illustrabimus, cuius nobis testis est oculatus vir intimiori amicitia et naturae scientia probatus* D. AHASWERVS PAYNGK.

*Alexandriae in Insubria Dantiscana vxor Centurionis robusta nullo interno remedio propellere valuit foetum in angustiis materni sinus haerentem et mortuum. Vnde praesente animarum Curatore, Medicus Hispanus adferri sibi curauit orbiculum, qui mensae insterni solet, eumque vmbilico parturientis impositum magno nisu manus percussit, vt et dolores clamore prodiderit puerpera, et dictum factum excluderetur foetus salua matre et superstite, sed larga haemorrhagia ob vteri conatus et dolores insequente. Nullam hic rationem auxilii inueniemus, nisi ex compressione abdominis forti, qua vi contenta excernuntur.*

FINIS.

